A Itaque Orpheum non modulis, sed mortis genere imitatus est, nisi quòd is à mulieribus, hic verò à canibus laceratus est. Lucianus. πρὸς τὸ ἀπαιδ ευτον πολλὰ βιβλία ὀνόμαζον.

Moschus citharœdus imperitus, qui citrà respirationem diù, & in longum producebat vocem: neque tamen sonabat aliquid, quod ad stomachum auditorum faceret. Hinc adagium natum, Moschus canens Bœoticum, in multiloquos, & intempestivos locutores. Bœoticum autem genus erat cantionis. *Erasm.*

Stratonicus citharœdus de Porpi Rodio citharœdo, qui corpore erat prægrandi, artis verò imperitus, interrogatus qualem esse putaret; respondit, οὐ τεκμαίρε μέγαν ἰχθύν. Nullus malus magnus piscis. *Theophr. in libro Ridiculorum*, dictum proverbium à Stratonico in Similam histrionem asserit. Magnus nullus putridus piscis. Cùm Byzantii Cytharœdus procœmium benè cecinisset, at in reliquis aberrasset, assurgens Stratonicus, buccinam inflavit, pronunciavitque, Quisquis citharœdum, qui procœmium cecinit, invenerit, mille drachmas accipito. Cùm vocatus fuisset aliquando ad audiendum Citharœdum Stratonicus, postquam audivit. Homericum illud dixit:

τῷ μεμνῆσθαι δοὺ ἄλλο δ' ἀνένευσεν.

B *Illi concessit pater hoc, at abnuit illud.*

Tum dicente quodam, Quid hoc? Malum esse citharistam dedit, benè autem canere abnuit. Tibicen quidam in sacris obstrepebat ineptè. Cui Stratonicus, Define, inquit: benedicere hic oportet, non malè canere. εὐφημεῖν Græci, linguis, animisque favere, in sacrorum initiis jubebantur. Idem in citharœdum imperitum, cui nomen erat Cleon, sed vulgò dicebatur Bos, lic jocatus est: Olim, Asinus ad lyram, proverbio dicebatur: nunc verò, Bos ad lyram. *Athenæus in Dipnosophistis lib.8. cap.7.*

Citharœdus quidam malus Stratonicum exceperat convivio splendido, atque super cœnam ostentabat artem. Stratonicus, cùm illo canente non haberet, qui eum loquerettur, confregit poculum, & poposcit majus, moxque se vino ingurgitavit, & obdormiit. Cùm autem fortè supervenissent aliquot comessabundi, Stratonicus expergiscens respondit. Hic insidiator, & sceleratus cantor, me veluti bovem ad præsepe, dum cœna excepit, occidit. Boves multo cibo saginantur, priusquam mactentur. *Athen. lib.8.*

C Diogenes Citharœdum quendam, qui quoties fidibus luderet, ab auditoribus deferebatur, obvium ita salutavit: Salve, galle, cùm ille ostensus salutationis novitate, diceret: Quid ita? Quoniam, inquit cantu tuo excitas omnes, Salsissimè autem jocum captavit ex ambiguitate verbi. Græcis enim ἀοιδοῦ μεν dicitur, & qui dormientem è somno excitat, quod galli gallinacei malè canentes facere solent: & qui sedentem movet, ut surgens abeat. *Laert. lib.6. cap.2.*

Ismenias tibicen canebat in sacrificio. Cùmque non litaretur, is, qui conductus fuerat, arreptis tibiis canebat ridiculè: & hoc canente, litatum est. Incusantibus autem iis, qui aderant: Divinitùs, inquit: contingit venustè canere. Hic Ismenias ridens: At me, inquit, canente Dii, voluptate capti, me morabantur: te verò festinante illos abiere, arripuere hostiam. *Plut. lib.2. Symposiacon.*

In Demophilum citharœdum indoctum *Lucilius in 2. Epigram.*

Νικατιμόρας ἄδει διεκπτῴρων. ἀλλ' ὅταν ἄσῃ
δημόφιλος, ἀτίσκει κρυτοὶ νυκτικόραξ,

In Simylum idem:

Σιμῶλος ὁ μάλιστα τἀγείτονας ὕστατα πάντας,
νυκτὸς ὅλης μάλλον, πλὴν ὠδὸς ὠρχήσεις.
κωφὸν γὰρ φύσει αὐ τὸν ἠδύκατο, πούνεκεν αὐτῷ
ζωὴ ἀντ' ἀκοῦς δῶκε περιστοτέρων.

In Nicetam Medicum Ammian. ibidem:

Νικήτου φάων, ἠμὲ ὀδῶν ἔσιν ἀπάλαιν
ἀν ἢ ἰατρεύῃ, ἠμὲ διεκπαυομένων.

Corrigendo.

Robertus Carnotanus Episcopus, doctrina, & sanctitate vitæ insignis, multa scripsit, & canendi modum in sacris meliusculùm reddidit, sub Gregor. V. Pontif. & Roberto Gallorum Rege, Magni Hugonis filio. *Plat.*

Jacobus I. Scotorum Rex introduxit novum cantandi ritum musicum (qua in arte ipse plurimùm pollebat, virosque domi in ea peritissimos alebat) cum organis. Regis exemplo Scoti deinceps etiam cum Anglis in ea arte certare potuere. *H. Boeth. lib.7.*

Judicando Tum In Genere.

E *Arist. lib.8. Polit.* Musicam inter ingenua exercitia connumerat: & vult omnino cives suæ Reip. in ea institui, & exerceri, dum juvenes sunt: Seniores verò juvenum concentibus interesse, tanquam censores, & judices: ne effeminato aliquo, mollique rhythmo animi juventutis corrumpantur.

Pythagoras judicium musicæ per sensum rejecit, quòd tenuem ejus virtutem prædicaret. Quocirca non auditu, sed harmoniæ convenientia judicium de ea faciebat, atque ad diapason usque sistere musicæ cognitionem esse satis censebat. *Plut. de Musica.*

Alexandrini in judicando concentu argutissimi sunt, ut quàm celerrimè errores, qui in pulsatione chordarum fiunt, deprehendere possit privatus quisque, & pauperrimus. *Athen. lib.44. cap.24.*

De Artis

Modis.

F Si quis ex prisca musica quid transfiliisset, non convivebant Lacones. Sed & Terpandro, qui magis antiquarius, fuæque ætatis citharœdus optimus erat, gestorumque celebrator heroicorum, mulctam Ephori dixere, ac citharam ejus in palum illiserunt, quòd interpolandæ vocis gratia chordam tantùm unam intendisset supervacaneam. Solos namque simpliciores modos probabant. *Plut. in Lac. institutis.*

Usi sunt musica, sicut studiis aliis omnibus, Veteres reverenter. Nostri verò temporis Homines gravitate ejus repudiata, pro virili illa, & admiranda, & Diis grata enervem, & garrulam in theatra inducunt. Proinde in tertio de Rep. Plato in hujusce modi musicam stomachatur. Lydiam harmoniam, reiicit, quòd lamentationibus ea sit accomodata: Jonicam, quia mollis: at Doricam, ut bellacibus viris, & temperantibus congruam, elegit non quòd ignoraret, ut in secundo Musicorum tradit Aristoxenus, referre eas aliquid ad Remp. circumspectam. *Plut. de Musica.*

Organis.

Argivos à musicæ violatore piacula exegisse ferunt, mulctanque dixisse illi, qui plus septem chordis uti apud ipsos, ac musicam myxolydio adulterate aggressus fuerat. *Plat. de Musica.* G

Scribit Attemon, Timotheum Milesium visum fuisse uti compositione, quæ plures habebat chordas, quàm Magadis: quare reprehensus fuit apud Laconas, quòd musicam antiquam corrumperet. At cùm vellet quidem ultra consuetudinem abundantes chordas abscindere, demonstrasse ajunt Apollonisam esse apud illos, qui lyram habeat ad eandem formam cum totidem chordis. *Athen. lib.14. cap.14.*

Alcibiades, ubi ad discendas artes se contulit, omnibus præceptoribus, ut decuit, se morigerum præbuit: tibia tantùm canere noluit, illiberalem eam, & ingenuo indignam artem judicans, nam plectrum quidem, & lyram nihil de figura, & forma, quæ liberalem hominem deceret, diminuere: fistulam autem inflantis vix etiam à familiaribus faciem agnosci, præterea lyram unà eo, qui utitur, canente, sonum suum edere: tibiam ejus, qui uteretur os obstruere, vocemque intercludere. Proinde, inquit, canant Bœotorum pueri, qui loqui nesciunt: nos Athenienses exemplum Minervæ, & Apollinis (quos urbis nostræ auctores esse, à parentibus accepimus) imitabimur: quorum illa fistulam abiecit, hic fistulatorem excoriavit. Hæc seria inter jocandum referens Alcibiades, & se, & reliquos ea arte abstinuit: celeriter eo rumore inter pueros sparso, Bene agere Alcibiadem, qui artem istam respuat, & eam discentes H rideat. Inde factum, ut hæc ars penitus è liberalibus disciplinis excluderetur. *Plut. in Alcibiade.*

Dignitate, Usu.

Nutrix apud Euripid. Medea succensest hominibus, quòd hymnos invenerint conviviis, ubi aliàs lætantur homines, nullus verò musicam ostendetit, quæ tristitias abigat, ubi ea maximè opus esset, inquiens, Ineptos fi dixeris, nec ulla ex parte prudentes, majores homines, non errares: quod quidem hymnos ad celebritates, & ad comportationes, & circa epulas invenerunt, vitæ jucunda oblectamina: stygias verò mortalium nullius tristitias invenit musica, & multichordis canticis sedare, ex quibus mortes, gravesque fortunæ subvertunt domos. Atqui hæc quidem utilitas mederi canticis mortales. Quis verò lauta convivia, quid fruftrà intendunt vocem; præsens enim habet oblectationem à sese convivii frequentia hominibus.

Euri

A Euripides non in conviviis, sed in luctò potiùs Musicam adhibendam esse censet: quòd convivia satis ipsa per se læta sint: in luctu autem quærendum sit aliquid, quo minuatur dolor. *Muretus lib.6. Var. lect. cap.16.*

Apud Platonem in Protagora Socrates abjectos modò, & imperitos, & circumforaneos homines, tibicines, & citharœdos, aut alia id genus acroamata, in convivia conducere solitos dicit: qui cùm vim eam non habeant, ut urbana aliqua, & eleganti collocutione tempus illud epularis accubationis traducere, & mutuis sermonibus animos suos hilarare possint, ejus rei remedium à mimis, & ab histrionibus, & à vocum, fidiumve cantibus petunt. At quas ad epulas boni, & eruditi convivæ convenerint, in eis neque tibicinam, neque psaltriam audiri, neque saltatricem spectari ullam: ablegatis eos ejusmodi nugis, atque ineptiis, modestè inter se, & hilarè colloqui, neque unquam deesse ipsis, de quo sermones jucundissimos conferant, etiamsi multam in noctem convivium producatur. Itaque ex illo nobili apud Agathonem convivio eiicitur tibicina, & aut sibi, aut mulieribus canere jubetur. At alumnus eiusdem disciplinæ Xenophon in id convivium, in quo & Socrates esset, & Antisthenes, atque alii sapientia præstantes viri non B modò Philippum excitandi risus artificem induxit, verùmetiam sublatis epulis, Syracusanum comessatorem cum tibicina, & saltatrice, & formoso puero, qui & ipse tum saltando, tum fidibus canendo, summa eos, qui aderant, voluptate perfunderet. In Homericis etiam epulis & Phemius canit, & Demodocus, & in Virgiliano Jopas. Sed hæc fortassis aliquis intemperantium procorum, & luxuriosi Regis, & Reginæ jam tum amoris telo percussæ, direxit esse convivia. Quid quòd epulantibus diis canere Apollinem, & Musas ferunt; *Muretus lib.6. Var. lect. cap. 16.*

Ateas Scytharum Rex Ismeniam ceperat optimum tibicinem. Huic imperavit, ut tibia caneret. Aliis eum admirantibus, ipse juravit, jucundiorem auditu esse hinnientem equum. *Plut. in Apopb.*

Cùm Musicus quidam feciliter videretur cecinisse, quispiam ex iis, qui aderant, rogabat Eudamidam Archidami F. fratrem Agidis, quid de eo sentiret? respondit, μέγας καλπικτὰς οὐ μικρῷ πράγματι, id est, Magnus delinitor in re parva, quòd existimaret operam esse scientiam, sed nihil adferentem utilitis. *Plut. in Lacon.*

C De Exercitatione *Certantium.*

☞ *Et Tit. Certaminum Musicorum, exempla huc transferantur, quatenus certaminibus præsunt judices. Infrà.*

Instituerant Civitates Achajæ, apud quas musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas ad Neronem mittere. Eas adeo gratè recipiebat, ut legatos, qui pertulissent, non modò primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret super cœnam, exceptusque effusius: solos scire audire Græcos, solosque se, & studiis suis dignos, ait. *Sueton.*

Discentium.

Alexander Magnus puer adhuc, citharam didicit pulsare. Et magistro jubente chordam quandam tangere modulis convenientem: Et quid interest, inquit, etiamsi hanc pulsavero; in alium digitum intendens. Respondit ille: Nihil interesse tum Regis, sed non eodem modo nihil interesse futuri citharœdi. Timuit, ne fi duriusculè eum institueret, idem sibi eveniret, quod Lino, qui cùm Herculem puerum imperitiùs instrumentum tangentem increpasset duriùs, ab eodem plectro D interfectus est. *Ælian. lib.3. de Var. hist.*

Erat antiquitus ignorantiæ argumentum à vulgo probari: Quare cùm tibicini cuidam applausum fuisset, commorareturque in proscenio adhuc Asodoporus Phliasius: Quid hoc inquit? manifestum certè est, ingens aliquod malum accidisse, quia non alio pacto à plurimis probaretur. Nonnulli hoc Antigenidi tribuunt. *Athen. lib.14. cap.13.*

Cephesias tibicen discipulum cecidit, qui contentiùs inflasset tibias: additque elogium sanè divinum, ὦ κὺ τῷ μεγάλῳ τὸ ἀλλ' εὐτῷ τὸ μέγα. *Scalig. lib.1. Poet. cap.18.*

Artificum.

Timotheo Euripides, cùm exsibilaretur novationis causa, quasi leges musicæ perrumperet, animum addidit, regnaturum cum brevi ostendens in theatris. *Plut. an Seni tract. resp.*

Psaltes quidam apud Antigonum artis suæ specimen edebat. Cùm verò sæpiis Antigonus diceret, Constringe notam, & *L.B. Theat. vit. Human.* Tom. V.

rursus mediam: indignatione commotus, respondit: Avertant, ò Rex, à te dii malum hoc, ut me meliùs, atque exquisitiùs hanc artem teneas. Iniquè tulit musicus ejus reprehensionem, qui à musices studio planè alienus erat: indignum esse putans, artificem reprehendi ab eo, qui manus fidibus nunquam admovisset. *Ælian. lib.9. de Var. hist. Plut. in Regg. & Imp. Apopb.* Philippo tribuit.

Disputando. Disputatione Musicæ.

Musicæ studiosos, aut Harmonicos dicimus, aut Canonicos Harmonicos nuncupamus eos, qui auribus contribuunt auctoritatis plus, quàm rationi: ejusmodi fuisse Aristoxeni sectatores novimus. Canonicos autem, qui rationis persequuntur examen: sicuti ab Pythagoreis factitatum palam est, quos tamen nec genere ab harmonicis abduxeris. Ptolemæus mediam quandam rationem insecutus est. Tantum enim sensorio attribuit quantum Aristoxenii, rursumque rationi, quantum Pythagorei. Etenim tum demùm enasci judicium putat sinceru, veraxque, ubi sensus, & ratio conspiratu nituntur consono. Quod ipsum & in astronomia comprobavit, cùm rationis libra ab oculis non abit diversa. *Cœl. lib.15. cap. 11. A.L.*

Cùm Ptolemæus cum Stratonico citharœdo contentiosius F disputaret de citharistica, ὑστερον ὕφιν, ὄρθιν, ὀβελοειδῆ, σκληρὸν, ἠτόρον δὲ πλῆκτρον: Aliud est, inquit, Rex sceptrum, aliud plectrum. *Athen. lib.8. & Plin. l.35. c.10.* Idem Minaco fabro, secum de musica disceptanti: Non animadvertis, inquit, te supra malleum loqui? Castigavit hominem, de rebus sibi ignotis, & incognitis loquentem. Idem in eum, qui cùm priùs fuisset olitor, posteà factus musicus, de arte secum contenderet, pronunciavit senarium Græcum, vulgò celebrem:

id est,

ᾠδοὶ τὶς ὦν κἀκεῖνος εἰδὼς ὑνόχλιν,

Quam quisque novit artem, eam canat licet. Mutato verbo detorsit ad jocum, quod est in proverbio, ἰᾷδοι τὶς, &c. *Ex Athen. lib.8. Erasmus.*

Philippo Macedoni cum Fidicine memorant de pulsandarum fidium ratione certanti, cùm putaret illum se coarguere, renidentem dixisse hominem: Dii meliùs Rex, quàm ut ita fis infelix, me ut ista noris rectiùs. *Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.*

Certando. Certamina Musica.

G ☞ *Consule Tit. certamina Poetarum, quatenus sua carmina voce, sonove modulato decantant.*

Sirenes Musas aliquando in certamen cantus provocarunt, Junonis suasu, ut in Bœoticis testatur Pausanias. Musæ alas victis evulserunt, coronasque ex illis factas suis capitibus imposuerunt, in Creta juxta civitatem illa de causa vocatam Apteram, ut ait *Crobylus lib.1.* Ea propter alatis capitibus, Musæ postea fuere, præter unam, quæ erat illarum mater. *Natalis Comes lib.7. cap. 13. Mythol.*

Jupiter in Pieria congressus cum Mnemosyna, Musas genuit. Regnabat eo tempore in Emathia Pierus indigena, eique novem erant Filiæ, quæ chorum suum Musis opposuerunt: certamenque Musicum est in Helicone commissum. Quando autem filiæ Pieri canebant, omnia caligine obscurabantur, nihilque ad choream obtemperabat. At Musarum cantu sistebatur cœlum, astra, mare, flumina: & Helico voluptate delinitus, ad cœlum usque crescebat: donec eum consilio Neptuni Pegasus inhibuit, verticem pede percutiens. Quoniam autem certamen inierant mortales cum deabus, Musæ eas in aves transformarunt, numero novem, quæ etiamnum inter homines nominarunt, Colymbax, Inyx, Cenchris, Cissa, H Chlotis, Acalanthis, Nessa, Pipo, Dracontis. *Anton. Liberalis ex Nicandri. lib.4. Alterat.*

Thamyris, Philammonis, & Atsiæ filius, genere Thrax, forma, corporis, animique dotibus clarissimus fuit. Ejus carmen ita concinnum fuit, ut ab ipsis Musis compositum videretur, *Plut. in lib. de Musica*, bellum à Titanibus adversùs deos gestum tanta suavitate composuisse ait, ut nullum poema videri posset præstantius. Cùm in Messenia, & Oechalia civitate Dorium versus proficisceretur, Musas obvias habuit, & cum iis pactus est. Si vicisset, se velle cum omnibus congredi: sin victus fuisset, illarum arbitratu se pœnas subituram, teste Myrtleano Asclepiade. Victus, oculis captus est, & canendi scientia privatus. *Homer. Iliad. β Natal. Comes Mythol. lib.6. cap.14.*

Marsias Phrygius tibicen, Thyagnidis filius ejus, qui primus omnium mortalium leges Musicas ad laudes deorum, quibus in solennitatibus Græci usi sunt, accomodavit: Rheam

A deorum matrem, per orbem errantem comitatus est, pristinæ amicitiæ memor. Cum ad Bacchum in Nysam urbem venissent, invenere Apollinem magna existimatione habitum, quòd primus diceretur citharam reperisse. Orta inter eos artis contentione, Nysæos judices constituerunt. Apollo primùm cithara simplici usus est, Marsyas verò tibiis: quibus ut re nova, audientes obstupuere. Eo in certamine, soni suavitate Apollinem visus est superasse. Porrò astantibus judicibus, cum artem uterque suam præferret, Apollo modulationem cantus ad citharæ suavitatem adjecit: quapropter tibiæ sonum visus est excedere. Quod Marsyas ægrè ferens, audientes monuit, minimè se victum esse: non enim vocis, sed artis comparationem fieri oportere, secundùm quam harmonia, ac suavitas tùm citharæ tùm tibiarum esset exquirenda: iniquum præterea esse, duas simul artes uni conferri. Tunc Apollo respondisse fertur, se nihilo plus ad sonum, quàm Marsyam, adhibere. Nam & illum quoque ore uti, cùm tibias inflaret. Oportere igitur aut ambobus idem licere, aut neutrum ore, sed manibus ostendere suæ artis modulationem. Cùm videretur judicibus æquiora Apollinem postulare, artibus item comparatis, ajunt denuò Marsyam esse victum. Apollinem verò ea contentione exasperatum, vivum B Marsyam excoriasse. Verum extemplò pœnitentia ductum, ægrè, quod egerat, ferens, projectis citharæ chordis inventam ab se harmoniam delevit. Ad hanc postmodum Musæ mediam, Linus, quàm lichanon, Orpheus, & Thamyras, quàm hypatem, ac parhypathen musici dicunt, addiderunt. *Diod.l.3.c.5. & Paus.in Thoc.* Certamen commissum fuisse non procul ab Apamia civitate, juxta lacum, in quo ad usum tibiarum optimi calami gignuntur, scriptum reliquit *Strab.l.* 12. è quo manant fontes Marsyæ: cùm *Ovid.lib.6. Metam.* Marsyam scribat fuisse ab Apolline in fluvium mutatum. Fama est, apud eundem lacum tibias à Minerva fuisse inventas, quas cùm illa inflaret, & in lacu oris turpitudinem videret, illas abjecit: Secedite à me, inquiens, malæ corporis depravationes. *Athenæus l.14.* Has cùm reperisset Marsyas, qui multò ante bella Trojana floruit, non solùm inflavit, cæterosque illarum peritia antecelluit, sed etiam Doricæ musicæ, geminarumque tibiarum suit inventor, sicut Amphyon Lydiæ, ut testatur *Plut.in l.de Musica*. Marsyas ab Apolline victus, de pinu arbore suspensus, & excoriatus est. Dicitur ea de causa omnibus tibicinibus deinde iratus Phœbus, vix tandem Sacadæ opera placatum, qui primus Delphis Pythium cantum C cecinit. *Nat. Comes lib.6. cap.* 15. *Mythol.*

Linus, Amphimari Neptuni, & Uraniæ Musæ filius, cùm de Musices gloria cum Apolline certaret, ab eo occisus est. *Pausan. in Bœot.*

Rex Phrygiæ Midas, cùm sylvas semper fere ab hominum frequentia longinquas incoleret, judex & ipse, & Tmolus mons inter Phœbum, & Pana pastorum Deum, de arte musica contendentes, delectus est. Phœbus cithara, Pan fistula cecinit. Tmolus Phœbum victorem, Midas Pana, suo judicio pronunciavit: quare indignatus Phœbus, aures asini Midæ addidit: quòd cùm parum judicio valeret, tamen judicare non detrectasset. Ita verò scitè illas occultabat Midas, ut nemo præter tonsorem, rem cognosceret. Sed cùm id tonsor tacere non posset, terram effodit, ac in scrobem pertenui voce submurmuravit, Auriculas asini Midas Rex habet: & scrobe terra operto discessit. Hinc cannæ natæ, vento subeunte conceptum arcanum emurmurabant, Auriculas asini Midas Rex habet. *Natalis Comes lib.9. Mythol. cap.*15. *ex Ovidii lib.*11. *Metamorph. Strabo lib.6.* Timæum citat auctorem quendam in Pythiorum certamine Eunomum Locrensem, & Rheginensem Aristonem, in canendi certamen venisse. Aristonem Apollinem invocasse Delphicum, ut sibi canenti foret auxilio, quod à Delphis D Rheginenses olim essent profecti. Eunomus respondit, Rheginensibus ne certandum quidem omnino de musica, apud quos cicada vocalissimum animal voce careret. Utrisque certantibus, cùm in Eunomi cithara, una inter canendum chorda frangeretur, cicada supervolans astitit, ac vocem alioqui defuturam, suo cantu supplevit. Atque ita victor declaratus statuam citharœdi Locris posuit cum cicada citharæ insidente.

Cùm cœpti jam essent Delphis Pythici ludi celebrari antiquissimum fuisse omnium certamen memorat, inter eos, qui præmio proposito hymnum in Apollinis honorem cecinissent: & primum quidem omnium psallentem vicisse Chrysothemin è Creta, cujus pater Carmanor Apollinem de cæde latronis Eubœensis sacrilegi purgasset. Consecutos Philammonem Chrysothemidis ipsius, & Philammonis filium Thamyrim. Nam Orpheum mysteriorum scientia, & reliqua vitæ dignitate elatum, tum etiam Musæum, quòd Orpheum sibi, E quem æmularetur, proposuisset, negant in musicum illud certamen descendere voluisse. Tulisse narrant Eleatheren: Pythicam palmam vocis causa, cùm alioqui cantilenam non suam decantasset. Hesiodum tradunt repulsam tulisse, quòd carmina sua ad lyram canere non didicisset. Homerus Delphos quidem venit consulendi, quod opus fuit, causa. Sed ei, etiamsi fidibus didicisset, propter oculorum calamitatem, nulli usui ars esse potuisset. Quadragesimæ demùm & octavæ Olympiadis anno tertio certamina instituerunt Amphyctiones. Cantus ad citharam ut pridem: cantus item ad tibiam. Ipsarum etiam per se tibiarum. Renunciati victores sunt de citharœdis, Cephalon Lampi filius: de Aulœdis Echembrotus Arcas: de tibicinibus Sacadas Argivus. Idem verò postea Sacadas binis deinceps Pythicis ludis præmium meruit. Eadem præter ea tunc, quæ in Olympia, athletis indicta sunt certamina, quadrigis tamen exceptis, lege lata, ut soli pueri, tum longiore, tum repetito cursu certarent. Altera jam Pythiade submotis præmiis, coronarium duntaxat certamen ut esset, statuerunt, aulœdorum arte repudiata, quòd triste nescio quid auditu, & minimè lati ominis tibiis canere- F tur. Elegi enim & funebres modi cum tibiis congruebant. *Pausan. in Thoc.*

Ismeniæ in sacrificio tibiis canenti, postquam non litavit, ademit conductitius quidam tibias, ac ridiculè cecinit. Quem cùm incusarent assistentes: Canere eleganter, inquit, tibia cœlitis datur. Ibi ridens Ismenias: At me, inquit, tibia canente, demulciti dii hic morati sunt: te canente facessere maturantes admiserunt sacrificium. *Plut. lib.2. quæst. Conviv.*

Stratonicus citharœdus cùm adversarios Sicyone superasset, trophæum Æsculapio posuit inscribens, Stratonicus ex malè citharam pulsantibus. *Athen. lib.8.cap.7.*

Athenienium Odeum, cujus habet interior descriptio multa sedilia, multasque columnas, tectum est autem subvexum, & acclive in unum assurgens fastigium, imaginem, ferunt esse & simulacrum tabernaculi Regis. Ædificavit illud Pericles: & tunc primùm ingenti studio Pericles tulit, ut certamen Musicorum Panathenæis celebraretur, digestisque id ipse creatus athlethetes, quemadmodum certantes tibia, vel voce vel cithara canerent. Spectarunt & eo tempore, & deinceps in Odeo musica certamina. *Plut, in Pericle.*

Narrant olim apud Græcos, duos præcipuos fuisse citha- G rœdos, Hipparchionem, & Rufinum. Cùm autem in solennibus ludis qui decimo quoque anno apud Juliopolitas agebantur, essent inter se decertaturi: contigit, ut Hipparchion theatri strepitu turbatus, obticuerit: eaque res in vulgi jocum abiit. Auctor. *Zenodotus. Erasm. in proverbiis, Mutus Hipparchion.*

Nero Romanorum Imp. Cajo Telesino, & Suetonio Paulino consulibus certavit inter citharœdos, eique victori magno applausu corona imposita est. *Xiphilin. in Nerone.*

MUSICÆ USUS.

Musicæ usus in omni vita locum habet, non modò in ludicris rebus, ad remissionem, & relaxationem animi, verùm etiam in seriis. Animus enim noster concentu, & harmonia mirificè delectatur; eamque ob causam Plato animam, harmonicè à primo opifice creatam, asserere non dubitavit, quandoquidem simile suo simili oblectari solet. Rationem horum in numeros transfert Plato: subest tamen occulti quid, hoc est, divini, quod aliquando corporea mole exuti perfectè cognoscemus.

QUIBUS CONFERT HOMINIBUS. PUTA.

Infantibus.

Jovianus Pontanus Neniæ vocem traduxit ad Nutri- H cias cantilenas: propterea quòd vulgus in Italia Nutrices Nenas dicunt: ut opinor, à cantiunculis, quæ sunt similes cantibus præficarum. Cujus carminis angustiis divinus ille vir ita clausit lasciviam immensi sui ingenii, ut aliorum excluserit audaciam, At veteres nutricum cantiones καταβαυχόλησεις nominarunt. Baucis enim in re futili. *Scalig. lib.1. Poet.cap.*50.

Adolescentibus.

Cretenses jusserunt liberorum filios cum quodam concentu, & melodia leges perdiscere, ut ex musica voluptatem caperent, & facilius ea memoria complecterentur: & ne si quid contra leges admisissent, per ignorantiam se fecisse possent defendere. Secundum quod eis discendum proponebant, erant hym-

hymni in honorem Deorum facti. Tertium, fortium virorum A encomia. *Ælian.de Var.hist.lib.2.*

Oratoribus.

C. Gracchus, quoties apud populum concionatus est, servum Erycinum post se Musicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fistula, quàm Tonation vocant, pronunciationis ejus modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus justo concinnatos revocando: quia ipsum calor, atque impetus actionis attentum hujusce temperamenti æstimatorem esse non patiebatur. *Val. Max. l.8.cap.*10. *& Gell. lib.*1.*c.*11. *ex Cic. & Plu.*

Ducibus, Militibus.

Tempus opportunum docens utendi Musica Homerus, Achilli negotiis vacuo exercitium invenit, utile, & jucundum. Nam cùm bellator esset, & strenuus Achilles, ex offensione, quam contra Agemnonem conceperat, periculis bellicis abstinebat: Dignum igitur heroi illo existimabat, ut animum ejus optimis modulamentis exacueret: quoad expeditionem, quam brevi post suscepit, esset paratus. Id sanè efficiebat veterum res gestas ad memoriam reducendo. Ea erat prisca musica, quæ eo conducebat. Accepimus ipsum quoque Musicam tractasse Herculem, Achillemque, & alios complures, quos vir sapientissimus Chiron, ut est memoriæ traditum, docuit: qui B pariter Musicæ, Justitiæ, & Artis Medicæ fuit doctor. *Plut. de Musica.*

Mechanicis artificibus.

Fuere apud veteres multæ cantiones, aliæ aliis artibus, temporibus, nationibus. Nam pistores habebant, quod canerent ad molam: ἰμάλιον vocabant: ut est apud Aristophanem in Atticis, & Callimachum in Hecale: nam ἰμαλὸς, Dorienſibus fuit mensuræ genus: ἰμᾶν quoque significabat trahere, & haurire, apud Athenæum, & Aristotelem. *In Ælian.7. de Varia Hist.* scriptum est, Pittacum admodum laudasse μύλλω: addidit & rationem: Propterea quòd, inquit, parvo in loco diversis esset potestas ad exercitandum. *Laert. in ejus vita scribit*, ipsum ad molas sese exercere solitum: nec mirum, fordidus enim fuit. Inde & cantilena ἐπιμύλιος talis, referente *Plut.* Ἀκω μιλᾶε, ἔλαι ὁ Πιττακὸς ἐλκεῖ Μολκάνης μετὰ λιθίνου βασιλέων. Nautæ quoque habebant suas. Itaque in Commentariis Aristophaniorum Archarnensium, νεγλαρὸν legimus esse μέλος quoddam Musicum, & nauticum παρακελευστικὸν. In Thesmophoriis quoque ejusdem est, quod fœminæ, cum pinserent, cantillarent. Alia texentium telas cantilena αὔλιος, à lino, ut arbitror, appellata: ἑῶοι autem ad lanificia, communi nomine, cum mestorum cantu: namque ἑῶλος, cùm tenuem, ac frequentem rem significet, tum spicam, tum lanam potuit designare: quemadmodum ad barbam quoque, & ad centipedam eadem C significandi proportione accommodari potuit. Ἀμάλλοις igitur hordaceos manipulos dipulsos, collectos autem ἰῶλας nominabat. Itaque Cereris quoque cognomentum fuit, iu legere viridi χλοῖῳ, in matura ἰῶλῳ. Teleclides etiam in Amphictyonibus posit poematium, quo laborem canendo fallerent mercenariæ operæ in agro, cùm opus facerent, Balnearii suum item erat, ut prodidit *Crates in Tolmis*. Quemadmodum nunc etiam Dulciarii crustularii apud Gallos, Præterea fullones, & lignatores. *Festus in l.*11. In vindemia, cùm primum multum gustabant, ita canere mos fuit.

Omnis gratia vetus. Novum vinum bibo,
Veteri novo morbo medeor.

Unde, & Meditrina Deo, cui libarent tunc, & Meditrinalia, sacra à medendo. *Scalig.l.*1. *Poeticæ, c.*55. *ex Athen.l.*14.*c.*6.

De multiplici Musicæ usu in Mechanicis, *Ouid.4. Tristium* 1. *deducit:*

Hoc est cur cantet victus quoque compede fossor,
Indocili numero cùm grave mollit opus.
Cantat & innitens limosæ pronus arenæ
Adverso tardam qui velit amne ratem:
D *Quique fert pariter lentos ad pectora remos,*
In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus ut incubuit baculo, saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oues.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturque labor.

Refert *Duris Samius*, in Alcibiadis navi ab exilio reducentis Chrysogonum fuisse quendam modulatorem, qui tanta arte remigium manus dirigebat, ut cùm illi remorum pulsum cum Chrysogoni cantu conjungerent, jucundam audientibus redderent harmoniam. *Cælius lib.9.*10. *Antiq. Lect.*

Theon, cùm pinxisset virum armatum, qui excursionem ex urbe repentè faceret, & furore quodam correptus in hostes irrueret: non autem priùs exhibuit picturam, quam tibicinem juxta collocasset, quem jussit carmen orthium canere, pene- E trans, & clamosum, quàm fieri posset maximè, & quod ad prælium animaret. Simul ac igitur auditum est carmen asperum, & horrendum, atque tuba quasi armatorum expeditionem sonante, picturam ostendit, & miles conspectus est, cùm efficaciorem cogitationem de excurrente in animis hominum cantus excitaret. *Ælian.lib.2.de Var.hist.*

Nicias pictor, cùm in opere diligentissimus esset, laboris tædium cantando solebat fallere.

Parrhasius pictor insignis, cantilenis, & modulis laborem mitigare solitus erat. *Theop.apud Ælian.l.9.de Var.hist.*

Legatis.

Complures ex barbaris legationes de pace cum tibiis, ac citharis faciunt, hostium animos mollientes. *Theopompus l.Hist.* 46. Getæ, inquit, citharas habentes, easque pulsantes, legationes de conficienda pace faciunt. *Athen.lib.*14.*c.*11.

Captivis.

☞ *Vide ante Tit. Musices exercitia.*

BRUTIS.

Arionem exceptum medio mari à Delphino ad concentum lyræ, per longa æquorum spacia in Tænarum Laconiæ incolumem delatum, testata est non tantùm vetustas, sed & statua ex ære, quæ ibi loci fuit, monumentum rei gestæ, Arion Delphino sedens. *Sab.lib.*8.*c.*8. Et sanè vero, quam simile est, ut Del- F phinum ad sese excipiendum incitarit, piratas quoque, ne suum abitum impedire vellent, eodem sono permovisse.

Pindarus auctor est, ad cantilenæ modos Delphinum matinum saltasse cum gestu.

Quem movit in maris tranquilli concinens
Suave carmen profundo.

Saltantium certè spectaculo oblectati lumina attollunt, ac gesticulatione simul huc illuc armos ad sonum jactant. *Plut. lib.7.Con.q.5.*

Sybaritarum equos ad tibiam saltare assuetos, Crotoniatæ in expeditione adversus eos tibiis inutiles reddiderunt. Cùm enim tibiarum sonum equi illorum audivissent, non exilierunt solùm, sed sessores habentes ad Crotoniatas transfugerunt, teste *Aristot.in Repub.&* Athen.*l.*12.*c.*6.

Equabus, quando ineuntur, carmen tibia accinitur, quod hippothoron appellant *Plut.l.7.Con.q.5.*

Constat apud Septentrionales, ursos, Delphinos, cervos, oves, atque vitulos, immò & agnos delectari Musicis melodiis: rursusque horrisonis cornibus, seu tubis, ab armentis arceri lupos, & ursos. Itaque pastores, bicornibus fistulis (Seck pipas illi vocant) ludentes, aliquando per ursos rapti, continuè ludunt, donec fame urgente ursus discedat alimoniam conquisiturus. Tunc accepto caprino cornu, interdumque vaccino, sonum horridum excitant, & feram à reditu terrent, pecora, & G armenta fistularum sono audito avidius escam sumunt, atque compressius pascuntur in herbis: uti *Paulus Diac.lib.5.cap.*37. meminit, *& Plinius Olaus l.*18.*c.*31. *Hist.Septent.*

SAXIS. INANIMATIS.

Jupiter tres filios ex Antiopa genuit, Amphionem, Zetum, & Calaim. Propterea maritus Lynceus Thebanorum Rex eam repudiavit. Pueri cùm adolevissent, ulti repudiii matris, Lynceè interemerunt, & Dyrcem ejus conjugem, pulsoque Cadmo eò fene, Thebas possederunt: & Amphion cithara movisse lapides dicitur, atque ita muros Thebanos condidisse, saxis in structuram concurrentibus, numeris musicis illectis, *Horat. in Arte.*

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis.

Thebas condidit Amphion, non quòd lyra saxa duxerit (neque enim par est id ita gestum videri) sed quòd affatus suavitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudes, ad obse- H quii civilis pellexerit disciplinam. *Solinus.*

QUANDO. UBI. QUO TEMPORE, LOCO-VE. Sic Musicæ usus est in SACRIS.

* David omnibus gentibus pacatis religionis studia complexus hymnos trimetros edidit: & cum his pentametros versus plurimos, qui sabbathis, festisq; diebus, sacris solemnibus canerentur: adjecit his dechachordem citharam, & nabla duodecim vocum, cymbala ad hæc ærea, grandia quidem, & lata. *Sab.En.1.l.29.*

David ad Saulum recenti dæmonum incursu exagitatum accersitus est, ut cantu demulceret æstuantem mentis furorem: id quod præstitit: Nam quoties in morbum incidit Saul, stans

David ad caput, cùm sacros hymnos voce, & fidibus cecinis-
A set ad sanam mentem reductus est. *Ioseph. l. 6. c. 9. antiq. Judaic.*

De Cantu autem in Ecclesia, Divorum officiorum semper celebrato, & perpetuo usu à prima illius origine, fusè à nobis tractatum est in ☞ *Loco de Cantu, & Cantoribus*. *Item in Loco de Ecclesia. Tit. vii. de Cantu Ecclesiastico*. Legatur *Boethius de Musica*: Item quæ tradit *Lorinus in expositione Antiphonæ, Regina cęli lætare*: ubi omni & testimoniorum, & rationum genere hoc argumentum illustrat.

Vetustioribus seculis ne notam quidem ferunt Græcis musicam theatralem, sed artem ejus totam in Deorum laudem, & disciplinam fuisse acceptam juventutis, nullo dum prorsus illa ætate extructo theatro, sed versante adhuc musica in sacris, in quibus Deos venerabantur, & viros fortes celebrabant. Probabile est autem esse theatrum posterius, ac multo ante verbum θεωρεῖν id est, spectare, à Deo qui θεὸς Græcè dicitur, appellationem mutuatum. Enim verò nostris temporibus tantam fecit hoc diversum genus progressionem, ut forma illius, quæ faciebat ad eruditendam adolescentiam, totum jam exoleverit, neque vindicari queat: sed omnes, qui sese musicæ dedunt, ad musicam applicent se theatralem: *Plut. de Musica*.

In Priscorum sacrificiis, semper inter vescendum diis canere solebant, quibus sacrum fiebat. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 17.* Post
B cantiones aliquas ad aras deorum expletas, accedebat aliquis sacra certis versiculis elaborus. Hunc apellarunt Spodon: propterea quòd post alias cantiones, & hymnos pronunciabat: *teste Gal. lib. 17. de Officio partium humanarum. Scalig. lib. 1. Poet. cap. 44.*

Apud Indos nulla fuit Numinis salutatio, vel sacrificium, nisi adhibita saltatio foret. *Ibidem*.

In Delo absque musica sacrum nullum fiebat. *Ibidem*.

Narrat Pilochorus, quòd cùm sacrificarent Antiqui, non semper Dithyrambos canere consueverant, sed Dionysium quidem canebant, cùm libarent inter vina, & ebrietatem: cùm libarent Apollini, & summissè canebant, & cùm ordine. *Athen. lib. 14. cap. 11.*

Cybelis sacerdotes, cum tinnitu cymbalorum, & sonitu tympanorum sacra facere solebant. *Vide Strabonem lib. 10.*

Apud Curetas nullum sit sacrum sine strepitu tympanorum & turbarum. *Ibidem*.

Livius lib. 9. ait tibicines solitos præcinere sacrificiis Rom. & pes spondeus ita dictus, quòd in sacrificiis libantes eo maxi-
C mè uterentur: cùm Græci σπονδὴν, libamina appellant. Numa Pompilius hunc pedem Pontificium nuncupavit, cùm spondei melos, id est, cantus, patricios placaret indigetes. Præterea thure, incensis altaribus, tibicinem spondeum canere jubebant, ut duobus longis symphoniis, quasi duplicibus, & jugibus vocibus, prospera deorum voluntas firmaretur. *Polyd. l. 6. c. 2. de Rer. invent.*

M. Antonius Cæsar, cùm Heliogabalo sacrum faceret, mulieres Phœnissas, quæ in orbem cursitarent, ; cymbalaque, & organa musica circum aras pulserent, adhibuisse dicitur.

Chori Ecclesiarum divisi sunt in binas partes, sub Constantio, Constantini, & M. filio. & Flaviano Episc. Antiochiæ, bifariam Davidis Psalmo canentes: quod Antiochiæ primùm cœptum, in omnes totius mundi fines exivit. *Suid. in voce χόρος*.

Pipinus à Pontifice Rex Francorum creatus, Romanorum ritus, & cantus in Gallias attulit, an. Dom. 751. *Sigeb.* Carolus M. dissonantia Ecclesiastici cantus inter Romanos, & Gallos offensus, duos clericos Romam misit, ut authenticum cantum à Romanis disceret, & Gallos doceret. Per quos primùm Metensis Ecclesia, hinc omnis Gallia ad aucto-
D ritatem Romani cantus revocata est: an. Dom. 774. *Sigeb. & Æmil. lib. 2.* Cùm post annos 16. iterùm in psallendo, & legendo esset à Romanis etiam in Metensium Ecclesia variatum, Carolus per cantores, ab Adriano missos, eam dissonantiam correxit, an. Dom. 790. opera Pauli Varnefridi, qui ejus à sacris erat. *Sigebert*. Jam cùm ex Gregorii instituto, quatuor duntaxat tropi seu modi, Phrygius, Dorius, Lydius, Mixolydius, quos vulgus cantorum tonos Authentos vocat, in usu fuissent, ne Latini ulla ex parte Græcis cederent, Ducem à Comites divisit, quatuor subditios modos à quatuor primariis distinxit, octo tropos fecit: illos cantores Plagio, id est, obliquos nuncupant. Nec alio consilio hoc fecit, quàm ut Ecclesia omnem Scripturæ verborum διάστασιν, ac potentiam congruentibus sonis exprimere posset: & ut Scripturæ concentuum suavitate conspectiores in cœtu Christianorum redderentur. Cum Græci legati Aquisgrani patriis ceremoniis rem divinam facerent, & psallerent, Magnus, qu occultè subauscultabat, captus dulcedine cantus, jussit eos numeros excipi.

E

Convivis.

* Parresfamilias olim apud Hebræos, cùm vel accumberent, vel à cœna surgerent, hymnos quosdam præcinere consuevisse, *Stuckius lib. 3. c. 20. Antiq. Conviviul.* refert.

A qua consuetudine alienum non fuisse Christum ipsum, exhinc conficitur, quando post cœnam Paschalem ea nocte, quà tradebatur, unà cum Apostolis hymnum cecinit, priusquam in montem olivarum exiret. *Marc. c. 14.*

In Agapis primorum Christianorum, quas defcripta habet *Loco proprio de Agape* in hoc opere, cantum quoque adhibitum, testis est *Tertullianus c. 39. Apolog.* Post aquam, inquit, manualem, & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. *Cypriani* verba *ad Donatum* id etiam confirmant. Et quoniam nunc ait, feriata quies, ac tempus est otiosum, quidquid inclinante jam sole in vesperam diei supereft, ducamus hunc diem læti, nec sit, vel hora convivii gratiæ cęlestis immunis, sonet Psalmos convivium sobrii, &c. ☞ *Vide ciborum benedictio.*

Usitatam autem Hebræorum, cujus supra meminimus, consuetudinem, Ecclesiasticus sæpe tangit, cùm vinum, & Musicam conjungit. David quoque irrisum se conqueritur ab homi-F nibus plebeis, & ebriosis, qui in tenebris, & compotationibus suis cum persiringebant verbis contumeliosis, & canticis conviciis refertis. In me, inquit, *Psal. 69.* psallebant, qui bibebant, vinum, quod eleganter *Buchananus* exprimit:

Et ebriosę sum tabernæ cantio.

Nunquid etiam idem confirmat convivium apud *Luc. c. 15.* in læta illa cœna, qua Pater filium reducem postquam jam perierat, excepit? Fit namque in ea mentio συμφωνίας καὶ χορῶν, id est, concentus Musici, & saltationum. Hæc enim se mutuo consequuntur, juxta illud *Matth. 11.* Cecinimus vobis, & non saltastis. Hinc alter filius ex agro rediens, auditis symphoniacis, & choris, quæsivit, quidnam esset, &c.

Ægyptii in conviviis lugubrem cantionem, quam Linum vocant (à Lino, qui Ægypriacè Maneros dicitur, filio primi Regis Ægyptiorum, quem immatura morte defunctum, hoc lugubri carmine prosecuti sunt. Quæ fola, primaque cantilena apud ipsos instituta fuit) decantare consueverant, ut & Græci: ut scilicet vel inter pocula mortalis conditionis subinde memoriam refricarent. *Herod. lib. 2.*

Ἐκκόπτ' ὦ μουσῶ, Extirpata est Musica. Ferunt olim in G conviviis eruditas quæstiones esse tractatas. Post psaltriis, & citharistriis introductis, quosdam novitatem illam accusantes, hoc usus esse proberbio. *Suidas*.

Videtur *Homerus* antiquam Græcorum constitutionem servasse, cùm dicit:

Conviviis citharam, quam Dii fecere sodalem.

quòd hæc ars conviviis fit accommodata. Erat hoc lege constitutum, ut singuli, qui ad potum accederent, medicum lascivię, ac intemperantiæ musicam acciperent, quæ audaciam, ac temeritatem posteà mitigaret. Nam cùm animi mœrorem expurget, facilitatem, liberalemque hilaritatem operatur. Ex quo Homerus deos induxit musica Apollinis sese oblectantes in principio Iliadis, cùm placari contentiones, seditionesque oporteret. *Athen. lib. 14. c. 11.*

Apud Veteres mos erat, ut in conviviis singuli suam cantionem canerent: quòd si quis citharam accipere recusasset, utpote musices ignarus, is per jocum accepto ramo laureo, seu myrteo, cogebatur ad eum canere. Porrò priscis hunc canendi fuisse morem, testatur & *Fabius lib. Institut.* H
1. Unde, inquiens, etiam ille mos, ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra: cujus cùm se imperitum Themistocles confessus esset, habitus est indoctior. *Plutar. primo Sympoliacon lib. quæst. 1.* scribit, olim fuisse morem, ut in convivio primùm voce cõmuni Deum canerent παιανίζοντες, ut ait: deinde myrteum ramum unicuique tradit solere, quem ἀπαρχὴν vocatum existimat, quòd is, qui cum accepisset, caneret. Post lyra circumlata, qui peritus artis fuisset, eam accipiebat, canebatque, sonum chordarum ad vocem attemperans. Recusantibus autem musices imperitis, σκολιὸν carmen dicebatur, quod non esset vulgare, neque cuivis facile. Alii dicunt myrtum non solere ordine circumduci, sed à sponda ad spondam transferri, ut posteàquam cecinisset is, qui in prima sponda primus sedebat, ei traderet, qui in secundo lecto primus accumberet, hic rursum tertii lecti primo: deinde rursum primi lecti secundus, secundo loco in secunda accumbenti sponda traderet, eumque admodum per omnes iret. Et ab
A hoc flexuoso progressu σκολιὸν quasi obliquum, non rectum, vocari, cœpit. *Eras. in Proverb. ad Myrtum canere.*

Convivialium carminum tria fuere apud Græcos genera, sicuti testatur Artemon Cassandreus. Primum, quando omnes canebant. Secundum, quando omnes canebant quidem, non tamen ordine, cùm ex quodam ambitu cantum exciperent, Tertium verò in omnibus ordinem servabat, quem tamen non omnes animadvertebant, sed prudentes tantùm, quod carmen σκολιὸν fuit appellatum. Canebatur, ubi communia omnibusque necessaria finem consequerentur. Canebant autem sapientes: atque singuli odam aliquam pulchram in medium proferebant, quæ sententiam utilem vitæ haberet. *Athen. lib. 15. cap. 21.* ubi de carminibus convivialibus multa habet. Aristoxenus, & Phillis Musicus, σκολιὸν ab obliquo flexu tanquam serpentem voluminibus dici volunt, quòd in nuptiis circum unam mensam multos lectos collocantes, alternis ordine, myrtos tenentes, canerent sententias, & amatorias cantiones. Circuitus verò ille fuit obliquus, ob lectorum collocationem. *Suidas*.

A discumbentibus melos concinebatur, quod Harmodii
B nuncuparetur, cujus erat initium:

φίλτατε Ἁρμόδιε ὅτι πω τεθνηκέναι.

Dicebatur verò in Harmoniam, & Aristogitona tyrannicidas Unde illud facetissimum erat initium:

οὐδὲ παρ' ἡμῖν ποτὲ τὸν Ἁρμόδιον θανόντας.

Apud me nunquam Harmodium canet: id est, mecum convivia non agitabit. *Cœlius lib. 27. cap. 26. Antiq. Lect.*

Extremi Septentrionis Populi cithara in conviviis præclara veterum heroum, & gigantum gesta patrio carmine decantant, & choreas ducunt: hinc in lachrymas resoluti, proni in terram concidunt. Tandem citharœdis excitantibus ad lætiora invitati carmina, furgunt, & diem in poculis traducunt. *Olaus lib. 4. cap. 8.* Vide hoc argum. fusè tractatum apud *Stuckium lib. 3. Antiq. Conviv. cap. 20.*

Acie. Prælio.

Cùm ad bellum exeunt Lydi, cum tibiis, ac syringibus in acie instruuntur, ut Asserit Herodotus. *Athen. lib. 12. c. 4.*

Cretenses cithara, fidibus, & tibiis utuntur in prœliis, quibus instructas acies accendunt. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 2.*

C Halyattes Rex Lydorum, in bello contra Milesios luxu barbarico, fistulatores, & fidicines, quinetiam seminas tibicinas adhibuit. *Gel. l. 1. c. 13. Noct. Att. ex Thucid. & Plut. de Musica.*

Græcorum mos fuit, duos concinere pæanas, Marti quidem in hostibus congrediendis, Apollini mox bello absoluto. Illum priorem, Enyalium vocant. Dioscuris Palladem primam Enoplion incinuisse nomon, prodidit Epicharmus. Ex quo præcinente tibia congredi cum hostibus Lacones orsi sunt. *Cœlius lib. 9. cap. 8. Antiq. Lect. & Alex. lib. 4. cap. 2.*

Procles, & Temenus Heraclidæ, adversus Eurysthidas Spartam tenentes bellum gerebant. Heraclidæ rem divinam fecerùt Palladi, montium Hyperbacteria offerentes. Eurysthidæ repentè in eos itinere, & manum consertere. At Heraclidæ nihil turbari, sed tibicines, ut omni studio prærent, jubere. Quibus præcedentibus, ac tibias inflantibus, armati ad cantum, & numerum sequentes, irruptos ordines fervabant, & hostes vincebant. Experientia eos docuit tibiam habere vim, & irritamentũ in pugnis. Quin & oraculo victores se fore didicere, simulac cum tibicinibus bella gererent. Neque pugna Leuctrica
D ad tibicines pertinens oraculum confutat. In Leuctris enim non præuntibus tibicinibus. Lacones cum Thebanis pugnam inibant, quibus patrium erat fistulatoriam artem exercere. Itaque colligi manifesto ex oraculo Dei potuit, penes Thebanos victoriam futuram Lacedæmoniorum, qui sine tibia pugnam capesserent. *Polyænus lib. 2.*

Instructa Sparranorum acie, cùm adesset hostis, Rex simul capellam immolabat, edicebatqi ut omnes coronas sumerent, & ut tibicines canerent, jubebat, Castoris carmen, simul etiam ordiebatur elassicum canere. Carmen Embaterium dicitur. Quæ res severam simul, atque horribilem edebat speciem, numeris ad tibiam incedentium: neque turbantium aciem, neque animis fluctuantium, sed modestè, & hilariter ad modos euntium in certamen. Neque enim nimia percelli trepidatione probabile est ita comparatos, aut plus satis ferocire: sed animum cum fiducia, & audacia suscipere stabilem, quasi Dei præsente favore. *Plut. in Licurgo, & de Musica.*

Cuidam Agesilaum roganti, quam ob causam Spartiatæ ad tibiarum cantum, inituri prælium, exercerentur? Ut cum ad numerum, inquit, incedunt, appareat, qui formidolosi sint, qui fortes. Nam anapæstorum ictus strenuis addebat animum, E meticulosis pallorem, ac tremorem incutiebat. Itaque cùm pes non responderet ad modulos tibiarum, prodebatur ignavorum imbecillitas. *Plut. in Lacon. Apoph. & Aristot. in Problem. referente Gellio lib. 1. c. 11.*

Athenienses, pæana canentes, & hymnos Jovi, congredi cum hostibus solent. Quod frequens etiam apud Græcos reliquos fuit. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 7.*

Crotoniatæ tibiarum cantu Sybaritarum equitatum, equis ad saltandum assuefactis tibiæ sono tripudiantibus, perdidere. *Athen. lib. 12. cap. 6.*

In prætoriis castris Rom. buccina semel, in consularibus verò bis signum dabatur, qua pedites, equites verò lituo ad pugnam advocabantur. Quoties movenda erant signa, aut castra, & ad reliqua belli munia, soli cornicines signum dabant: excubias verò, somnique, & vigiliarum tempora, buccina designabant. Si legiones ducendæ in hostes, & acie dercernendum foret, aut receptui canendum, cornuum, aut tubarum concentu fieri solebat. *Alex. lib. 4. c. 7.*

Ludis. Spectaculis.

Argivi ad Stheniorum, ut vocabant, luctam tibiam adhi- F
bebant. Hoc ludicrum in Danai honorem institutum prædicant primùm, post consecratum Jovi fuisse. Sed & nunc quoque pentathliis moris est ad tibiam canere, non carmen quidem ullum insigne, aut vetustum: nec quale illo seculo erat solenne (ceu illud, quod ad certamen hoc Hieraxcondidit, quod Incursus dicebatur) at licèt languidum, & obscurum, certè aliquid tamen qualecunque accipiur. *Plut. de Musica.*

Prisci Latinis in pagis, aut oppidis unico tantùm tibicine fabulas agitabant, ad cujus modulatus, vocem, ac gestum accommodabant histriones, alioqui ob imperitiam non servaturi carminis rationem. Isigitur tibicen posteaquam uni auctori præ cinuerat, cogebatur ad alterum huic responsurum transire, eique vicissim concentu tibiæ metri modulos præire, atque hinc rursus ad alium: quod rusticani homines absque præunte tibicine non possent apta saltare versus, aut mimos. Hinc videtur ortum proverbium apud Ciceronem pro Muræna, quando ait, Jurcconsultum, instructo petitore, Latini tibicinis more, transire ad cum à quo petitur, & illum solennibus verbis instructurum. *Eras. in Adag.*

Cubitu. Somni tempore. G

Lyræ sonum adhibebant ante somnum Pythagorei, quò perturbationes, & motus brutos animi excantarent, ita & mitigarent. *Plut. de Iside.*

Funere.

Ajunt, primum Linum Poetam Threnos fecisse. Alii verò cum Herculi succensentem, quòd esset ineptior ad discendum, ab irato, ingratoque discipulo interemptum: ab reliquis discipulis defletum carmine, quod ab ejus nomine, & nota ejulationis Ælianum appellarunt. Cujus vocis etiam in luctu meminit Theocritus. Idem carmen νλωῖον, & νλωῖνον, id est, extremum vocarunt, Latini Neniam. Elegiam quoque in funeribus primùm dictum par est. Id quod innuit *Ovidius in funere Tibulli*. Ejus inventorem nescire sese confessus est Horatius. Theoclen tamen quendam, sive Naxius ille, sive Eretriensis fuerit, tradunt furentem effudisse primùm Elegos. Neutiquam igitur quasi οἰλαγίων, παρὰ τὸ οἰλύγειν καὶ τιθηνεῖν τὰς, ut autumant Grammatici: sed miseratione, ἐλεεινὰ ἄγων. Idcircò miserabiles appellavit Elegos Horatius, ἔλος quoque ea est nocturna avis apud Aristotelem, quam nos Ululam dicimus. Simplicius quoque etymon ἔλεγον: idem enim, quod H
εἰ αἰ in Ælino. Nam utraque interjecto frequens omnibus Tragicis. Didymus definivit Elegiam θρῆνον ἀδόμενον πρὸς αὐλὸν, esse enim tibiam lugubre instrumentum. Translatus usus posteà ad longè diversissima: scilicet ad amores, non tamen sine ratione. Nam & frequens conquestio in amoribus, & verissima mors est, quæ à virisamentissimis amentissimo, & ingratissimo sexui vivitur. *Scalig. lib. 1. Poet. cap. 50.*

Cares itidem, ut Phœnices, in luctu tibiis uti solent magnitudine palmi, lugubre quiddam, & stridulum sonantibus. Eæ autem tibiæ Phœnicum lingua Gringes vocantur, quòd iis in Adonidis luctu soleant uti. Porrò Adonidem γρίγγλον, id est, Gringen appellant. *Erasmus in Adagiis, ex Athenæi libro Dipnosoph. 4.*

Siticines apud Romanos olim dicti, qui apud sitos, hoc est vita functos, & sepultos, canerent, tuba diversa à cæteris tubicinibus. Alii Sicinistas vocant. *Gellius lib. 21. cap. 2.*

CUR.

CUR AD
ANIMI MOTUS.
In genere.

☞ *Affectus Animi Musica leniuntur, quoniam inæqualia adæquantur. Vt enim, quando in corpore humano, Humor aliquis vel quantitate, vel qualitate excellit, fit ἀσυμμετρία, & τὸ ἀσύμφωνον τάξει: ita quando in Corde, & Arteriis Spiritus fit Perturbatio, & commotio, Similitudinem videntur habere Spiritus cum Humoribus: nimirum ut alii sint Cholerici, à quibus ira, Indignatio ἐπιχαιρεκακία: alii Sanguinei, qui Gaudium, Amorem, Pudorem movent: alii Pituitosi, à quibus Timor, & Segnities: alii denique Melancholici, Invidiæ, Tristitiæ, & similium instrumenta.*

Musicam ait *Plato*, elegantiæ, & concinnitatis opificem, hominibus à Deo non deliciatum causa, aut pruritus aurium datam: sed concessam, ut animi periodos, & harmonias turbulentas, & erraticas in corpore, Musarum, & Gratiarum Penuria sæpe numero per insolentiam, & improbitatem lascivientes, iterùm evolvat decenter, & reducat;

ὅτα δ' μὴ τερπόμενα
ζωὸς ἀτιζόντων βοὸν
πυρὶ δῶν ἀόντα
Quæ non amavit Jupiter,
Hæc obstupescunt gravius,
Cùm Pieridum audiunt vocem.

ut est apud Pindarum: fiquidem efferantur, fremuntque. *Plut. de Superstit.*

Veteribus Græcis præ omnibus aliis curæ fuit, ut in musica instiueretur adolescentia: cujus animos musica arbitrabantur formandos, & dirigendos ad decorum, quod referat musica ad omnia, atque ad actionem omnem seriam, præsertim ad disciplina bellica. *Plut. de Musica.*

Varia rhithmorum genera apud veteres fuerunt, de quibus *Arist. 8. Polit.* Æolius modus simplex erat. Asius varius, Lydius querulus, Phrygius religiosus, Dorius bellicosus. Ab effectibus deinde Hormium, & Orthium carmen appellabant, quod eo animi ad prælia excitarentur. Parconium, quo in convivis utebantur, *Alex. ab Alex. l. 4. c. 3.* Consule *Athen. l. 14. c. 6.* & post omnes *Iul. Cæs. Scalig. l. 1. Poet.* Erat Jonica modulatio florida & jucunda. Dorica honesta, & gravis. *Lucian. in Harmonia*: ἡ ἰάσωνος ἁρμονίας τὸ ἦθος, τὸ φρύγιον τὸ ἀνδρεῖον, ἡ λυδίας τὸ βακχικόν, τὸ δωρίου τὸ σῶφρον, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. Cassiodoro Dorius modus prudentiæ largitor est, & castitatis effector, Phrygius pugnas excitat. *Athen. loco dicto.* Doricæ harmoniæ tribuit τὸ ἀνδρεῖον, post Arist. *Polit. 8.* καὶ τὸ μεγοπρεπὲς καὶ τοσφοδρόν. *Plut. de Musica*, inquit, σέναν δὲ τῆς ἁρμονίας, ἡ μὲν δωριστὶ κεῖται, τίνος ἕνεκα. ἡ δὲ ἐπιλεκτομένη, ἀλόγιστος ὁ Πλάτων παραιτεῖται μόνος ὠνόμα, ἡ δωριστὶ ὡς πολεμικοῖς ἀνδρεῖα καὶ σώφρονα ἁρμόζουσαν θέλατο. *Brodeus in Epigrammatis.*

Apud Ericum II. cognomine Bonum, Daniæ Regem, Citharœdus quidam de sua arte differere cœpit, suo cantu homines ad furorem, amentiamque pertrahi posse jactitans. Rex rei novitate motus, specimen professionis edere jussit. Annuit ille: at ne qua nocendi hominibus ansa daretur, jussit prius omnis generis arma efferri, & certis in locis collocati custodes, qui cognito vesanorum strepitu irrumperent, ereptamque citharam capiti illiderent, ne & ipsi in rabiem agerentur, reliquos mutuis verberibus arcerent. Primo quidem inusitatæ severitatis concentum edidit, quo auditores in mœrorem stuperemque sunt versi. Deinde adeò suavem, & jucundam harmoniam, ut mutato animo gaudium etiam externis gestibus, & motu totius corporis proderent. Tandem verò acrioribus modulis concitati, vociferari, & tumultuari cœperunt. Custodes irrumpunt, ut Regem cum aliis furentem continent. Sed ille, effractis atri foribus, arrepto ense quatuor transfodit. Vix tandem pulvinarium mole undique congestorum obrutus, contineri potuit. Menti restitutus, Hieroiolymam expiandorum homicidiorum causa petens, Haraldo F. regni procuratore relicto, in Cypro defunctus est, atque ibidem cum conjuge sepultus, uti *Saxo lib. 12. Daniæ* testatur.

Hotherus, Hodbrodi Sueonum Regis ab Helgone Danorum Rege cæsi, F. musicæ omnigenæ peritissimus, ad quoscunque volebat motus variis modorum generibus humanos impellebat animos. Gaudio, mœstitia, misetatione, vel odio, mortales hac re affici noverat. *Saxo lib. 3.*

In specie. Musica.

Propheticum spiritum excitare.

Joram Israelitarum Rex, cum Josaphat Judæorum Rege contra Moabitas exercitum ducens per deserta Idumeæ, sitem diebus aqua destitutus miserè affligebatur. Elisæus vates consultus tibicinem sibi canere jussit. Ejus cantu excitus, victoriam ei contra Moabitas denunciavit, & postero die copiosissimam ex Idumæorum regione aquam affluxuram. *4. Reg. 3.*

Prophetam Micheam legimus ab Achab Rege Samariæ accersitum, antequam prælii exitum prædiceret, jussisse, coram Rege ut instrumentum musicum pulsaretur: eoque pacto occupatum à Dei spiritu prophetasse. *Bodin. l. 3. Demon. c. 6.*

Memoriam firmare.

Cretenses jusserunt, liberorum filios cum quodam concentu & melodia leges perdiscere, ut ex musica voluptatem caperent, & facilitis eas memoria complecterentur. Proponebant præterea hymnos in deorum honorem factos item fortiorum virorum encomia. *Ælian. l. 2. de Var. hist. & Athen. l. 14. c. 11.*

Studia graviora lenire.

Platonis institutum erat, ut Juventus musicæ disciplinis inter primas artes institueretur, ut graviora studia honesta voluptate lenirent. Id quod Pythagoras quoque censuit, qui pretinos motus animi, & mentis perturbationes nulla re magis, quàm vocii concètu, emulceri putavit. *Alex. ab Alex. l. 2. c. 25.*

L. Sylla, ut animum laboribus, & affectibus diversis laborantem refocillaret, optimè cantasse dicitur.

Hieron. Fracastorius Veronensis, mathematicus, poeta, medicus clarisi. Musica unicè delectabatur, eaque veluti cotesceriorum studiorum utebatur. *Auctor vitæ.*

Rodol. Agricola Frisius, puellas amare se nonnunquam simulabat, verum nunquam deperiit. In harum gratiam patria lingua amatoria quædam carmina scripsit elegantissimè, quæ puellis præsentibus, primariisque amicis, voce, & testudine modulatissimè canebat. Hujusmodi cantionibus animum, intentiore studio gravatum, interdum remittebat. *Gerard. Nauromag. in ejus vita.*

Cicurare.

Verissimum illud fuisse affirmant, Apollinem certis quibusdam citharœdicis notis à se inventis vitam multis mortalibus produxisse, abstulisseque feritatem. *Ludou. Vives de Laudib. Philosophiæ*,

Orpheus Thracius theologus, & Amphion Theb. sylvas, saxa, feras cantu suo traxisse dicuntur. Fabulæ historia subest, vel quòd revera feras mutica delectarint (nam cervi, & armenta pastorali fistula mulcentur, & aves quædam cantu capiuntur) vel quod homines rudes, stupidos, & agrestes ad mitiorem vitæ cultum partim legibus, partim jucunda modulatione traduxerint.

Cum Bacchum Tyrrheni navicularii tranfuecturi, & Nymphis nutricib. redditurì, spe prædæ perdere voluissent, ipse hoc intelligens, jussit comitibus, ut symphoniacè canerent. Quo cantu adeo oblectatos Tyrrhenos ferunt, ut saltare etiam cœperint, & nimis lasciviendo sese in mare projecerint. *Olaus lib. 15. cap. 29.*

Scribit Theodericus Rex Gothorum ad Boetium, Citharœdum mittat, qui dulci sono fera corda Gentilium demulceat. *Theodoricus Epistolarum lib. 2.*

Pietatem. Dei cultum promovere.

David cithara sua coram arca lusit, & corporis insuper concinno motu saltans, animi fervidam devotionem non tam ostendit, quam excitavit. Ejus rei causa Ecclesia quoque organis animos ad pietatem, & zelum religionis excitare voluit.

Castitatem tueri.

Clytemnestram Agamemnonis uxorem, non priius Ægysthus corrumpere potuit, quàm Demodocum poetam, & musicum (qui Clytemnestræ ab Agamemnone custos erat relictus) è medio sustulisset. Testis *Homer. Odyss.* Tanta erat musicæ vis in castitate tuenda. Eandem quoque ob causam Phemius, Demodoci frater, ab Ulysse Penelope uxori custos datus esse fingitur, qui (ut in primo Odysseæ) βίᾳ παρὰ σῆς μνηστῆρσιν ἀείδω coactus apud procos canebat, non turpes fabulas, sed miserabilem Græcorum reditum à Troja. Coactus autem canebat: quia non ut procos oblectaret, sed ut Penelopen custodiret, in Ithaca ab Ulysse relictus erat. *Eustat. in 3. Odyss. & Suid.*

Temperantiæ consulere.

Antiqui omnes & moribus, & legibus constituerunt, ut deorum immortalium hymni in conviviis canerent, ad temperantiam, honestatemque retinendam. Nam cum cantilenæ concinnæ essent, deorumque accederet metus, uniuscujusque mores facilè componi posse videbatur, *Athen. l. 14. c. 11.*

Fortitudinem explorare.

Agesilaus, quærenti cuipiam. Quidnam ad tibias dimicarent Spartiatæ? respondit: ut, cùm ad modulos incedunt, ignavi, & sortes elucescant. *Plut. in Apoph.*

Furorem

Furorem Martium immittere.

Timotheus, cùm ad Alexandri mensam caneret Orthium modulum, Regem repentè, velut insanum, statuit in pedes, coegitque ad arma prosilire: rursus remittente cantu, continuò & Regis remisit affectus. *Sabell. l. 10. c. 8. ex Plut.*

Alexander, Antigenide aliquando carmen modulante harmatium, usque eò permotus est, atque exarsit animo modis illis, ut concussiis armis proripiens se manu propè accumbentibus injecerit, suffragarcturque Spartiatis cantantibus:

In ferrum serpit citharam pulsare peritè.
Plut. orat. 2. de Alexandri fortuna, vel virtute.

Ad bellum hortari.

Solon in concionem progressus, elegia cecinit, & Athenienses ad recipiendam Salaminem incitavit, legemque (quæ jubebat, ut qui de Salamine recuperanda mentionem faceret, morte mulctarentur) abrogare coegit. *Polyænus lib. 3. & Laertius lib. 1.*

Ad Prælium animare.

☞ *Hic artificiosæ tantùm Musicæ vires in concitandis animis ad martia bella, ut ille ait, consideramus. At in Stratagematis etiam inconditos clamores in accendendis ad prælium animis referemus.*

Cùm milites antiquitus cornu buculo convocarentur, & ad prælium incitarentur, ut fortiùs moverentur milites: Tyrrhenus Pisæus æneam tubam primus invenit, ad excitandos militum animos.

Tyrtæus Elegiacus, & Medicus Spartanos ad Martem adversùs Messenios accendit. *Plut. in Messenicis.*

Plutarchus libro de Fortuna Alexandri II. declarat hunc verficulum apud Lacedæmonios solere decantari:

Ἔρευα γὰρ ὦν τὰ τῷ σιδήρῳ τὸ κακῶς κεκαρισθαι, id est.
Vergit ad lethale ferrum lepidè cithara canere.

Quo significabant, certis citharæ modis sedari motus animorum: aliis addi vigorem ad prælium. *Erasmus in Adagiis.*

Herodotus Megarensis tubicen trium fuisse ulnarum, cum dimidia scribitur ab Amarantho Alexandrino, lateraque fortia habuisse. Is cùm Demetrius Antigoni F. Argos civitatem obsideret, nec milites Heleopolim muris obpondus possent subducere duabus tubis inflatis milites machinam prompte subducere coegit. Periodum decies vicit. *Athenæus l. 10. c. 1.*

Eo prælio, quo Valdemarus Sueonoi III. Danorum Regi & vitam, & Regnum eripuit, Valdemari exercitum tam crebri coruuorum greges intervolasse prodiuntur, ut complures se erectis militum hastis ferendos obliicerent. Medias acies inter equitabat cantor, qui parricidialem Suenonis præsidiam (ut qui hospitii simulatione inter medias epulas Canutum interfecisset. Valdemarum pariter, nisi fuga elapsus esset, perditurus) famoso carmine profequendo, Valdemari milites per summam vindictæ exhortationem ab bellum accenderet. *Saxo lib. 14.*

Furorem extinguere, coercere.

Musica ante alia plurimùm contra spiritus malignos potest. Sic à Saule infestando scribitur malignus spiritus destitisse, cùm David pulsaret fides. Erat quidem tunc temporis Spiritus sanctus in David: veruntamen Saulis cruciatus pulsatis demùm fidibus desinebat: sive eo, quòd Musica res divina quædam est, diabolus verò nihil tantoperè, quàm discordias diligit: sive quòd harmonia conspirans cum anima, effugientem rationem ad sua principia revocat: prout annotabant veteres, à Musica interventu animæ sic curari corpus, ut interventu corpori curatur medicamentis anima. *Bodinus.*

Fama est, Empedoclem Agrigentinum cantiuncula quadam furibundum adolescentem, nudoque ferro hospitem impetentem suum, compressisse, atque sedasse.

Ad cœnas, & conviviа Priscorum solebat introduci musica: quòd elidere vim fervidiorum vini valeat, ut alicubi refert Aristoxenus. Ille enim induci Musicam dixit: quid cùm vinum de statu deiicere soleat illorum, qui eo sunt largè usi, corpora, & mentes: Musica medico fuo temperamento, & competenti ad diversum statum revocat ea, & mollit. *Plut. de Musica.*

Lacedæmonii tibiarum modulis in prælijs ineundis usi sunt, non, ut aliæ gentes cornuis, aut lituis, ut animi moderatiores redderentur: nihil magis ad victoriam conferre rati, quàm ne in primo statim congressu animi militum ferocirent, sed ad tibiæ cantum componerentur, & cum rhythmo æqualiter procedentes, integros servarent ordines. Spartæ in arce ad Ædem Minervæ, Poliuchi, sive Chalciœci dictæ, Musarum ædem dicarunt, quòd Lacedæmonii in prælia exeunt non ad tubæ cantus, verùm ad tibiarum modos, & lyræ cantiunculas. *Pauf. in Lacon Thucyd. Polyd. Fabius l. 1. Plut. in Lycurgo.*

In quinto dogmatum Hippocratis Platonis scripsit Galenus verba Possidonii philosophi. Damon, inquit, Milesius, cùm ad Tibicinem accessisset, quæ Phrygiis modis adolescentes quosdam temulentos ad furorem usque incenderat: jussit ad Doricas leges tonum demittere: quo illi demulsi, quievere. Erat enim Dorica animis componendis. Idcirco idem philosophus sancit, pueros docendos esse τῷ δωριστὶ, quia media καὶ προσπεφυκὼς ἀνδρεῖα μάλιστα. *Scal. l. 1. Poet. cap. 19. Boet. in præf. Musices.* hoc tribuit Pythagoræ, quòd incentione modi Phrygii incitatum, adolescentem, patria barbarum, quippè Tauromnitanum, vino temulentum, ira furentem, cum jam ædibus amicæ, quæ rivalem admiserat, ignem admovere tentaret, tibicina jussa spondeos succinere, ad sobriam mentem revocarit.

Iram sopire.

Achilles, Chironis Centauri discipulus, in Iliade, cùm accinit citharæ (quam solam ex Æetionis spoliis servarat) veterumque res gestas cantando sibi ipsi in memoriam revocat, furorem, & indignationem contra Agamemnonem conceptam sopire videtur. Etenim cùm esset Musicus, ex spoliis hosti erepus ptimam arripuit citharam. *Ælian. l. 14. de Var. hist. & Athen. lib. 14. cap. 10.*

Clinias, philosophus Pythagoreus, si quando adiracundiam se præcipitem ferri sensisset, confestim chordis adaptatis, citharam pulsabat. Interrogantibus autem, ob quam causam id faceret? Quoniam, inquit, mitigor animo. *Ælian. l. 14. de Var. hist. & Athen. l. 14. c. 10. ex Chamæleonte Pontico.*

Theodosius Imp. ad mensas habebat pueros Musicos. Qui cùm à Flaviano Episcopo Antiocheno instructi carmina quædam luctuosa, & ad commiserationem movendam idonea, quibus in supplicationibus Antiocheni utebantur, cecinissent: ita fuit eis Imperator commotus, ut cùm phialam manibus teneret, lachrymis abstinere non potuerit. Eaque ratione urbi, cui gravissimè, ob negatum tributum, & per seditionem dejectam uxoris Placillæ statuam, succensebat, reconciliatus est. *Nicephorus l. 12. c. 43.*

Seditionem sedare.

Terpander Lacedæmoniis aliquando inter se diffidentibus vocatus è Lesbo, ex oraculo, seditionem eorum cantus suavitate sedavit. Unde ab eo tempore Lacedæmonii, quoties cantorem aliquem audirent, protinus exclamabāt κλέος ἄφθιτον ἀνδῶν: quod posteà in proverbium abiit, de eis, qui secundas partes assequuntur. *Gyraldus ex Plut. de Musica.*

Timorem eximere.

Cyrus Persarum Rex, ne hostium efferis clamoribus milites perculsi trepidarent, hymnum Pollucì, & Castori canere jussit. Quo concentu effecit, ne improvisa formidine caperentur. *Alex. lib. 4. c. 7.*

Tristitiam pellere.

De Orpheo, & Achille *Ovidius 4. Tristium 1.* sic ait:

Cùm traheret sylvas Orpheus, & dura canendo
Saxa, bis amissa conjuge mœstus erat.
Fertur & abducta Lyrnessiide tristis Achilles,
Æmonia curas attenuasse lyra.

Gilimer, Vandalorum Rex, obsessus in monte Papua à Belisario, citharam petit ab hoste, ad solamen miseriarum suarum. *Procopius l. 4. Vandalicæ, & Cedrenus.*

CORPORIS MORBOS
Leniendos, curandos.

David Isæi F. ad Saul Regem Judæorum recenti dæmonum incursu exagitatum accersitus est, ut cantu demulceret æstuantem mentis furorem. Quoties in morbum incidebat Saul, stans David ad caput, sacros hymnos voce, & fidibus canens, ad sanam mentem reducebat furentem. *Josephus l. 6. c. 9. Antiq. Jud. ex 1. Regum. 16.*

Homerus luem, quæ in Græcorum castris grassabatur, Musica fuisse refert procuratam. Ejus hæc verba sunt:

Magnum perpetuo numen cantu celebrabat
Carmen Achivorum soboles scitum modulando.
Phœbum cantabat, quo aures illi exhilaratæ.
Plutarchus de Musica.

Thaletam Cretensem, forte quadam à Phytio edita, adiisse Lacedæmonios, cosque pestilentia, ope Musicæ, liberasse tradit Pratinas. *Idem.*

Theophrastus Eresius memoriæ prodidit, quarumdam viperarum morsibus, cantus tibiarum, aut fidicinum, atque alia

A alia organa artis Musicæ modulatè adhibita, aptissimè mederi. *Alex. ab Alex. lib.2. cap.17. & Cæl. lib.6. cap.13.*

Asclepiades Medicus phreneticos, mente imminuta, & vaietudine animi affectos, nulla re magis, quàm symphonia & vocum concentu resipiscere, & sanitati restitui, censuit. *Ibidem.*

Ismenias Thebanus, Antigenidæ discipulus, plures Bœotiorum ischiadicos, & coxendicum dolore laborantes, tibiæ cantu, bonæ valetudini restituisse dicitur. Tantus hominis naturæ cum harmonia consensus est. *Boet. lib.1. de Musica. Theophrastus lib. de Afflatione numinis* ischiadicos scribit sanos fieri, si more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. *Athen. lib.14. cap.10.*

Apud Campanos & Neapolitanos phalangio percussos, quod vulgò Tarantolam dicunt, nullo alio remedio sanari compertum est, quàm si protinus tibicen varios concinat modos. Est autem Tarantola aranei species, sic dicta, quòd in Tarentino agro copiosa in terræ cavernis reperiatur, & per æstatem messores ex improviso impetat, ut occreati tantùm metere cogantur. Operæprecium est *Alexandri ab Alex.* narrationem audire: quam *lib.2. cap.17. Genialium dierum* affert. Cùm per
B Apuliæ campos ferventissimos, ubi hoc malum peculiare existit, sub cane iter faceremus, inquit, undique oppida & vici tympanis, sistulis, aut tibiis circumsonabant. Cujus rei causam quærentibus nobis relatum est, Tarantolæ morbo affectos undique per oppida curari. Cùmque ejus rei gratia in pagum quendam diverteremus, invenimus adolescentem morbo ejusmodi affectum, qui velut repentino furore ictus, & mente alienatus, corporis motu non indecorè, & manuum, pedumque gestibus ad tympanum psallebat non inconcinniter, utque vehementiis modos acciperet, quasi illo pulsu demulceri animus, & leniri dolor videretur, sensim, & placidè aures tympano admovere: mox caput, manus, & pedes crebro motu concutere, & demùm in saltum se attollere videbamus. Quæ res cùm ludo, & risu prorsus digna visa foret, interim, qui tympanum pulsabat, sonitu parumper intermisso, pausam fecit. Atque illum morbo affectum, ubi præcentio illa quievit, velut attonitum, stupentique similem, repentè animo linqui, & omni sensu destitui cernimus. Rursus resumpto tympano, ubi primum modulos audivit, pristinas illum vires resumere, & acriùs in choreas insurgere spectabamus. Creditum est, quod à vero
C non abhorret, vim illam veneni virulento morsu, & sanie conceptam, harmonia, & vocum concentu, per totum corpus diffundi, atque inde fato nescio quo dilabi, & exinani; ideò illos, qui morbo ejusmodi laborarunt si quid reliquiarum residui um fuit, quod penitùs curatum non sit, si quando sono extrinsecus vel concentu illorum aures affici contigerit, velut mente consternatos, toto corpore, & animo concuti, ac manibus, pedibusque gestire compertum est, donec vis illa tabifica penitùs extincta fuerit.

Insania ex sanguine ortum suum trahente, in Germania olim frequens, quem morbum à S. Vito immissum superstitiosa plebs credebat, bellico tympano & fistula bellica non tam curabatur, quàm magis efferebatur: sic ut miseri homines eo correpti, supra naturales vires & saltando, & exiliendo per aliquot dies absque intermissione viros etiam fortissimos defatigarent: & quamvis viribus lassi concederent, linteis tamen in sublime excuterentur, quòd quies ipsa periculosa esset, nec prius hic furor cesset, quàm partim labore consumeretur, partim sudore exhauriretur morbi materia.

MUSICÆ STUDIUM. CULTUS. AMOR.
D In Arte. Utpuer.
Addiscenda.

Nero Cæsar puer, inter cæteras disciplinas etiam Musica imbutus, statim ut imperium adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios, accersiit: diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse mederi, exercerique cœpit. Nec eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis causa, vel augendæ factitarent. Sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinere: & clysfere, vomitque purgari: & abstinere pomis, cibisque officientibus, donec blandiente profectu (quanquam exiguæ vocis, & fuscæ) prodire in scenam concupivit: subinde inter familiares Græcum proverbium jactans, Occultæ Musicæ nullum esse respectum. *Svet.*

Communicanda.

Constantinus Copronymus. Imper. Orientis, an. 757. inter alia munera, quæ Pipino Francorum Regi per legatos misit, addidit instrumentum Musicæ maximum, Germanis, & Gallis incognitum, Organon appellant. Cicutis ex albo E plumbo compactum est, simul & follibus inflatur, & manuum, pedumque digitis pulsatur. *Marianus Scotus Aimoinus lib.4. c.64.*

Conservanda.

Mansit citharæ cantus Terpandri ad Phrynidis usque ætatem oppidò tenuis. Neque enim jus erat quondam pro sua cuique libidine, ut tunc fidibus canere, neque harmonias, & numeros immutare. Siquidem singulis carminibus suam retinebant intensionem. Hinc cognomen apud Græcos invenerunt, ut νόμοι dicantur quasi leges: quòd cujusque intensionis receptam formam violare nefas foret. At procurata, ut volebant, ira divina, repentè ad Homeri, & aliorum poesim pro arbitrio convolabant: quod ex Terpandri præludiis liquet. *Plut. de Musica.*

Terpandrum ab Ephoris mulctatum scribit *Plut.* ejusque citharam affixam, quòd antiquam immutasset Musicam, unumque nervum superfluò intendisset. Nihil enim ex Lycurgi instituto de prisca Musica immutari fas erat.

Exercenda.

☞ *Consule paulò antè Tit. Musicæ exercitationis supra.*

Nero citharœdi habitu prodiit Neapoli primùm: ac ne concusso quidem repentè motu terræ theatro, antè cantare destitit, quàm inchoatum absolveret νόμον. Adolescentes equestris F ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent (bombos, & imbrices, & testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi insignes pinguissima coma, & excellentissi. cultu pueri, nec sine annulo levis, quorum duces quadragena millia H·S merebant. Cantante eo, nec necessaria quidem causa excedere theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in spectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi, laudandique, clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quàm autem trepidè, anxièque certaverit, quanta adversariorum æmulatione, quo metu judicum, vix credi potest. Adversarios quasi planè conditionis ejusdem observare, captare, infamare secretò nonnunquam, ex occursu maledictis incessere: ac si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solebat. Judices autem prius, quàm inciperet, reverentissimè alloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed eG ventum in manu esse fortunæ: illos, ut sapientes, & doctos viros fortuita debere excludere: atque ut auderet, hortantibus æquiore animo recedebat: ac ne sic quidem sine solicitudine taciturnitatem, pudoremque quorundam pro tristitia, ac malignitate arguens, suspectosque sibi dicens. Romæ in theatro insanum Herculem acturus, cùm de more vinculis onerateretur, tyrunculus, qui præsidii causa in proximo stetit, catenas intuitus, ratusque vim illi intendi, consternatus animo, eò accurrit opem principi laturus. Quin & in Græciam cantandi studio navigavit, omnibusque ejus gentis spectaculis cantu, aurigatione, præconio certavit, decemjuges agere conatus. Inde reversus, curru, quo olim Augustus triumphans urbem ingressus est, præmiorum pompa, rituisque singulorum certaminum, longo ordine præmissis. In certamine Musico ita legi obediebat, ut nunquam excreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret, atque etiam in quodam tragico actu, cùm elapsum baculum citò resumpsisset, pavidus, & metuens, ne ob delictum certamine submoveretur, non aliter confirmatus est, quàm adjurante hypocrita, non animadversum id inter exultationes, fucclamationesque populi. Conservandæ vocis gratia, neque milites unquam, nisi absens, aut alio verba pronunciante appellavit: neque quicquam seriò, jocove egit, nisi adstante Phonasco, qui moneret, parceret arteriis, ac fudarium ad os applicaret: multisque vel amicitiam suam obtulit, vel simultatem indixit, prout quisque se magis, parciusve laudasset. Tantum ejus studiis mathematicorum prædictiones accenderunt, qui eum imperio aliquando excisurum præsagiebant, proinde ut esset, unde vivere, Musicæ operam dedit, illud subinde jactans, τὸν ἐχθρὸν πάσαις τέχναις φθείρω. Morti proximus illud identidem jactitabat. Quantus artifex perco? *Suetonius.*

Audiendo.

Apud Platonem Socrates in Phædro astruit, in meridie non dormiendum, ne (inquit) à cicadis rideamur. Nam quos viderint agentes ut oportet, illis præmium tribuunt, quod deorum concessione truducere ad homines possunt. Fertur enim, hoscce olim Homines fuisse ante Musas. Natis inde Musis, cantuque mon-

monstrato, illorum nonnullos voluptate cantus usque adeò A delinitos fuisse, ut canentes cibum, potumque negligerent, imprudenterque perirent, ex quibus denceps cicadarum genus sit propagatum: munus hoc nactum à Musis, ut alimonia non indigeat, sed absque cibo, & potu semper vivat, postea verò ad Musas proficiscatur, quàm quis hic musam colat, renunciaturum. Ergo Terpsichore renunciantes, quæ præcipuè illam in choreis, cœtibusque celebrarint, eam ipsis propitiam reddunt, atque itidem aliis pro sua venerationis specie. *Cælius lib. 17. cap.6. A.L.*

Zeno Citicus ad tibicinum spectaculum adolescentiam accivit: ut discerent, qualem cornua, ligna, calami, & si quæ alia proportionis, & concentus consortium habent, vocem mittant. *Plut. de Genitura animæ.*

Emmanuel I. Lusitaniæ Rex, musica multùm delectabatur, sed non ita, ut Musicæ studio à seriis negotiis avocaretur. In eadem domo multi fidibus pulsabant: & ad citharam canebant: & non pauci quæstores, & Jurisconsulti, & reliqui variis muneribus præfecti, ad illum multa regni negotia deferebant, ita ut simul cum honestissima oblectatione multa
B negotia conficeret. *Osor. lib.12. rerum Em.*

Utendo.

☞ *Vide suprà, Musicæ usus.*

Musica quanto in pretio antiquitus habita sit, inde maximè liquet, quòd partim ad excitandos militum in bello animos, partim ad mulcendos animos semper adhibita sit. Signum etiam edicendi exercitus, & certaminis conferendi, in Romanis legionibus, concentus tubarum, & cornuum fuit. Si quando silentio educendæ forent, tesseram habebant.

IN ARTIFICIBUS VEL

Conducendis, Instituendis.

David Rex, & Asaph cantores instituerunt ad laudandum, & celebrandum Dominum. Quorum carmina in templo à posteris fuerunt conservata. 2. *Esdr.12. & 1. Paralip.25.*

Fovendis, Amandis.

Ethodius Scotorum Rex, tubicines, & tibicines in magnis habuit delicis. Sed tandem unius Hebridiani sanguinis tibicinis, quem secretiori præfecerat cubiculo, insidiis per noctem est strangulatus, ut mortem ulciscereturfuorum necessariorum, quos Rex in Agathelia ob rebellionem interfecerat. Captus quadrigis distractus est. *H. Boetbius lib.5.*

Maximilianus I. Imper. omnes bonas disciplinas veneraC batur, Musicam verò præcipuè. Quod vel hinc maximè patet, quòd Musicorum principes, in omni genere Musices, in ejus curia, veluti in fertilissimo agro succreverent. *Cusp.*

Ornandis.

☞ *Vide Titulum Musicorum statuæ.*

Fuerunt loca multa apud Græcos Musis consecrata, à quibus cognomina sortitæ sunt, ut Heliconiades ab Helicone monte, quem Orus, & Ephialtes eli consecrarunt: Picrides, Pimplides, Libetrides, Parnasides, & Pegasides: quæ loca illis consecrata fuerunt à Thracibus Bœoticæ accolis, ut ait Strabo libro decimo: quia Thraces prisci Musicæ operam dederunt, poeticamque harmoniam invenerunt: quales fuerunt Ephorus, Orpheus, Thamiras, Musæus, & Eumolpus, qui quòd scitè caneret nomen obtinuit. *Natal. Comes lib.7. cap. 15. Mythol.*

Aristonicus citharœdus, cùm in prælio cuipiam suppetias tulisset, strenuè pugnans cecidit. Huic Alexander magnus statuam æream poni in Apollinis Pythii templo præcepit cũ cithara, & lancea prætenta: non solùm quo illi honorem haberet, verùm etiam quo ornaret Musicam, ut fortitudinis incitatricem, & quæ fervore lymphatico, ardoreque institutos
D in ea rectè personderet. *Plut. orat. de Alex. fort. vel virt.*

MUSICÆ ODIUM ET CONTEMPTUS.
Nempe.
Cujus
In Genere.

Ægyptii Musicæ nullo modo vacabant, quotidianum illius exercitum junioribus noxium, & periculosum esse arbitrantes: quasi virorum animos efeminaret. *Diod. Sic. lib.1. cap.6. De rep. antiq.*

Bion Borysthenites Philosophus omnino Musicam, & Geometriam pro ludo, jocoque habuit. *Laert. lib.4.*

Eudamidas rogatus de cantore quodam, qui feliciter cecinerat, qualis ipsi videretur? μέγας κἀκκακὸς εὐμικροῦ πράγματι: Magnus, inquit, in re parva delinitus. Contempsit operosam artem, cujus nullus erat fructus, præter inanem, ac temporariam delectatiunculam aurium. *Plut. in Lacon.* E

IN SPECIE.

Cantus.

Quidam, ut Cleomeni cantorem quendam commendaret, cùm aliis multis nominibus prædicabat hominem, tum illud imprimis affirmabat, eum esse cantorem inter Græcos præstantissimum. At Cleomenes Rex Spartanorum ostenso quodam ex his, qui aderant: Ac per deos hic, inquit, apud me juris condiendi artifex. Contempsit artem ad solam delectationem utilem. *Plut. in Apoph.*

Lyræ, Citharæ.

Demosthenes Mityleneus pulsavit fores hominis Musicæ, ac citharæ dediti. Cùmque is audito pulsu jussisset illum introire: Faciam, inquit, si prius alligaris citharam. Subnotans illum subinde citharæ canere. *Plut. Sympos. lac. lib.2.*

Lacedæmonius quidam, cùm in convivium esset illata lyra: ὁ λακωνικὸν τὸ φλυαρεῖν. Non est inquit, Laconicon nugari, longè dissentiens à cæteris Græcis, quibus nullum convivium suave videbatur absque Musica. *Plut. in Lacon.*

Archidamus Zeuxidami F. cùm quidam, qui fidicinem ei F commendabat, diceret: Bonus hic est fidicen: Apud nos, inquit, bonus est coquus. Quasi nihil interfit, per organorum vocem, an per esculentorum, & juris condituram, illecebras offeras. *Plut. in Apoph.*

Tibiæ.

Athenæus libro Dipnosophistarum octavo, proverbio jactatum scribit apud Priscos, Tibicinibus nihil esse mentis:

Dii tibicinibus nunquam mentem inseruere,
Sed simul ac flarint, avolat illicò mens.

Erasmus in Adag. & Cælius lib.9. cap.7.

Alcibiades postquam dedit se ad discendum, cæteros magistros attendit sedulò: at tibia canere (quamvis Pericles avũculus Antigenidam tibicinem opt. accersivisset) ut rem fordidam, & illiberalem refugit. Nam plectri quidem, & lyræ usum, nihil dicebat gestum, vel formam depravare libero homini cõvenientem: tibiam verò inflantis hominis ore vel intima familiaritate conjunctos vix agnoscere vultum. Præterea lyram non adimere pulsanti, quin simul loqui, & accinere valeat: tibiam obturare, & obstruere cujusque vocem, & incidere sermonem. Ergo, inquit, canant tibia Thebanorum filii: nam discere nesciunt. Nobis Athenienfibus, ut à majoribus accepimus, dux Minerva, & præses Apollo est, quorum superior tibiam projecit, alter excoriavit fistulatorem. Ita juxta joco, ac seriosè ipse Alcibiades, & cæteros ab eo studio abduxit, statim enim dilatata est inter pueros fama, meritò Alcibiadem fastidire fistulam, & ejus studiosos deridere. Unde ex oblectamentis liberalibus planè fuit exploſa, & prorsus irrisa tibia. *Plut. in ejus vita, & Gell. lib.15. c.17.* G

Fistula.

Telephanes usque adeò infestus hostis extitit fistulis, ut tibiarum opifices nunquam permiserit tibiis ea addere. Sed & eadem de causa potissimùm abstinuit ludis Apollinaribus. *Plut. de Musica.*

QUOMODO. NEMPE VEL
Artem Contemnere,
Præferendo alia.

Scytharum Rex Ateas (alibi Antheas) tibicini Ismeniæ jussit in convivio tibia canere. Stupentibus tibiæ modulamine cæteris, plaudentibusque, ipse malle juravit se hiennientem audire equum. Usqueadeò aures à Musis remotas, animumque in præsepibus habebat, non ad equos, sed ad asinos audiendos natum. *Plut. orat. 2. de Alex. fortuna vel virt. & in regum Apoph.* H

In convivio cùm lyra circumferretur, cæterique ordine canerent (nam id apud Græcos honestum habebatur) Gelon Syracusanus equum jussit induci in convivium, facilèque, ac leviter in illum insiliit: significans, hoc esse regalius, quàm lyra canere. *Plut. in Regum Apoph.*

Zeuxidami filius Archidamus, cùm nimio plus admiraretur quidam citharœdum, vimque ejus laudaret: O præstantissime, inquit, quodnam bonis vitis præmium statues, cui tantum arridet citharœdus. *Plut.*

Pyrrhus Rex interrogatus, Uter melior tibicen videretur, Pythone, an Charisius (aliis Caphisius) Polysperches, inquit, is erat egregius dux exercitus. Contempsit artem, & utrique prætulit strenuum ducem. *Idem.*

Diogenes Cynicus euidam jactanti Musices, pretium respondit.

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν ὦ μίνυ οἰκοῦνται πόλεις.
Εὖ δ' οἶκος, ἢ ξυλλαβοῦσι ἢ σφαγιάσμασιν, Laert. lib. 6.

ARTIFICES VEL

Non audiendo.

Agesilaus rogatus, ut vellet audire quendam, qui mira similitudine luscinæ vocem imitabatur, recusavit: Frequenter (inquiens) ipsam audivi. Significans, ineptam esse voluptatem magis delectari ipsa simulatione, quàm natura. *Plutarch. in Lacon. Apoph.*

Deserendo.

In Jasio Insula apud populum, magna ex parte piscibus vicitantem, citharœdus quidam in foro ostentabat artem. Verùm simulatque tintinnabulum crepitu signum dedit, adesse pisces venales, turba subitò deseruit cantorem, & ad piscium mercatum advolavit, uno excepto, qui, quòd surdaster esset, tintinnabuli sonitum non audierat, aut certè non attenderat. Huic citharœdus propius accendens, gratias egit, quòd & artem honorasset, & ipsum non passus sit esse prorsus desertum.

B Tum ille: An crepuit tintinnabulum; ut annuit: Valebis, inquit, egregiè magister, seseque mox ad pisces proripuit. Citharœdo liberum erat, sibi canere, & Musis. *Erasm. lib. 8. Apoph. ex Strab. lib. 14.*

Insectando, Reprehendendo.

Diogenes Cynicus Musicos in jus vocabat, quòd cum lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. *Laert. lib. 6.*

Philippus Macedo, cùm Alexandrum filium suum audisset quodam in loco scitè cecinisse, objurgavit, dicens, Non te tui pudet, qui noris tam bellè nugari? Significans, alias artes Regi convenire. *Plut. in Pericle.*

Antisthenes Cynicus, cùm audisset Ismeniam Thebanum, optimum tibicinem: at, inquit, est homo nequam: non enim, si probus foret, tibicen esset. Musicos arguens ut unguentarios, & ministros voluptatum. *Plut. in vita Periclis.*

Sugillando, Irridendo.

Demaratus Spartanus, cùm psaltem bonum audivisset, subiecit: ὑπακοῦσαι φαίνεται μοι φλυαρεῖν, Non malè mihi videtur nugari. *Plut. in Lacon.*

C *Defraudando.*

Dionysius senior, cùm peritum quendam Musicum magnificis promissis ad se pellexisset, ut quàm optimè canentem audiret, & Musicus per aliquot dies egregiè cecinisset, nec quicquam daret Rex, cœpit efflagitare mercedem. Tum Dionysius asseverabat, se jamdudum mercedem dedisse, voluptatem videlicet pro voluptate. Non enim minus delectaverat Musicum spe, quàm Musicus illum cantu. *Plut. orat. 2. de Fort. Alex. & Arist. Eth.*

Mulctando.

Lacones fidicinem peregrinum, quòd citharam pulsaret digitis, mulctarunt. *Plut. in Lacon.*

ORGANA CORRUMPENDO.

Timotheus Milesius, Thersandri, aut Noemisi F. Citharœdus, antiquam, & duriorem Musicam in mansuetiorem, molliorenque convertit, decimam quoque, & undecimam chordam addidit. Damnatus proinde ab Ephoris, quod septem antiquæ citharæ chordis quatuor addidisset: & cithara ejus in Sciade porticu suspensa. *Gyraldus.*

D Emerepes Ephorus Phrinidis Musici duas ex novem fidibus ascia abscidit, insusurrans, μὴ κακουργᾶ τὰν μουσικάν. Ne Musicam depraves. Quod ipsum in Timotheo posteà alii sunt imitati. *Plut. in Apoph. Lacon.* At in Agidis vita vocat Ecprepê.

Solymanus Turcarum Imperator, cùm à Rege Francisco I. Gallorum, peritissimos in omni genere Musicæ artifices dono accepisset, illis primò summoperè delectatus fuit. Mox cùm Constantinopoli summo studio populum ad audiendum incurrere, & earum artium disciplinam affectare cerneret: veritus ne animi civium esseminarentur, instrumentis omnibus confractis, & igni absumptis, Musicos ipsos Gallo remisit, Carent omnino Turcæ Musicis instrumentis, bellicis tantùm tympanis etiam in nuptiis utentes. Cavit enim perfidus Mahometes omnia ea, quæ animos excitare, & emollire possent: vinum, Musicam, artes denique omnes liberales.

*MUSICÆ MUTATIO PORTENTOSA, ET NOXIA.

E

Vetus scitum Platonis est, musicæ mutationem Reipublicæ mutationem portendere. Cujusmodi enim numeris in cantu gravibus, aut mollibus delectantur homines: iisdem etiam moribus se esse præditos ostendunt. Tales autem sunt Respublicæ, quales sunt domus singulorum civium.

Non aliud causæ esse puto, cur Socrates apud Platonem, Musices mutationem Reipublicæ periculosam esse statuat, & novos cantus execretur: nisi quòd juvenes novis modulationibus illecti, animo distrahuntur, virtutes negligunt, & à rebus seriis avocantur. *Franc. Patr. lib. 2. de regno, tit. 15.*

Civitatum hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum servare modum: quarum mores lapsi ad molliticm, pariter sunt immutati in cantibus; aut hac dulcedine, corruptelaque depravati, ut quidam putant: aut cùm severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus, animisque mutatis, etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ Vir, longèque doctissimus valdè hanc labem veretur: negat enim mutari posse Musicas leges, sine mutatione legum publicarum. *Cicero lib. 2. de Legib.*

F

Non est dubium, quin maxima semper fuerit, Harmoniæ in Republica vis, ac potestas: ut non modò Platoni, verùm etiam Aristoteli quoque placuit, teste *Io. Bodino lib. 4. de Repub. c. 2.* qui subjecta exempla ibidem recenset.

Primum quidem de Republica Cynethensium Arcadiæ populorum. Hi namque neglectis canendi legibus, urbanitatem, ac humanitatem cum feritate commutarunt: & gravissimis bellorum civilium fluctibus tamdiu jactati sunt, quoad Reipublicæ, ac civium interitus sequeretur. Id quidem mirum omnibus visum est: quamobrem ex omnibus Arcadibus, soli Cynethenses tam feroces, ac barbari essent, quousque *Polybius lib. 4.* omnium primus animadvertit, propter desertum Musicæ studium id illis accidisse: cùm sanctissimis majorum legibus accuratè caveretur, ut omnes cives ad annum usque trigesimum in ea studia diligenter incumberent. Qua quidem ratione primi legumlatores sapienter Arcadiæ populos feroces, ac barbaros, ut qui montes accolunt, ad humaniorem, & mitiorem vitæ cultum pertraxerunt.

Idem propè relinquitur judicandum de Gallis, quos Julianus Imperator, qui transfuga appellatur, barbaros, ac G feroces, & libertatis studiosissimos appellat, *in Epistola ad Antiochum Misopogena.* Qui nunc tamen nullis Europæ studiis humanitate cedunt, nulli magistratibus tractabiliores, nulli Principibus magis obsequentes, optimi certè sunt à natura, melius etiam à disciplina instituti, & maximas suavissimè canendi laudes omnium finitimorum judicio assecuti dicuntur. Illud etiam animadversione dignum, quòd omnes ferè Gallorum cantus, ac moduli, quibus etiamnum rustici summoperè delectantur, Jonici sunt, aut Lydii: quem Musici quintum, & septimum appellant. A quibus tamen Aristoteles, ac Plato pueros, & fœminas abstinere, ac Doriis modis exerceri voluerunt: quem nostri primum tonum vocant: ut mista modestiæ gravitate, quæ hujus moduli propria est, imbuerentur. Jonicos autem, ac Lydios, incredibilem vim ad molliendos animos habere putant. Rectius in Asia minore Jonici, ac Lydii prohibebantur; cùm cœlo Asiatico nihil mollius sit. Utiles tamen esse judico populis montanis, & qui ad Aquilonem positi sunt: quorum natura propter locorum, ac cœli intemperiem, ferocior, & agrestior est. Eam ob rem Ecclesiæ Christianæ H Duces olim, ac Pontifices in sacris laudibus cantus Jonicos, ac Lydios vetuerunt: Doriosque solum probaverunt; quibus etiamnum in sacris precibus sæpius quàm reliquis uti solemus. Et quemadmodum fera animantia solent à mansuetariis, unguibus, ac dentibus detractis, exarmari; sic etiam Jonici, ac Lydii cantus, hominum ferocium, & crudelium animos, feritate detracta, multò mitiores, ac tractabiliores efficiunt. Quod quidem Gallis contigisse puto: qui hujus imperii leges, non tam diù pertulissent: nisi mores illorum, quos Julianus Imperator feroces, ac servitutis impatientissimos fuisse tradit, flexibiles Musicæ reddidisset.

* Mutatio.

A

☞ *Vide* Motus.

Definitio, et Etymologia.

Mutatio, quæ Græcis est μεταβολή, est secundùm Aristotelem, alteratio secundùm magis, & minus in eadem specie: quo sensu dixit Euripides:

Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca.

Est autem mutare secundùm Varronem, transferre, vel variare; unde verbum mutabile. Sic Virgil.

—— *Varium mutabile semper*
Fœmina.

Partitio.

Mutationis certa divisio nequit assignari, cùm eadem variato subjecto varietur. Vel enim in Magistratu, vel in Legibus, Cæremoniis, Moribus, Locis, puta Imperiis, Urbibus, Regnis fiunt conversiones, idque ex causis, & motivis variis. Causas varias mutationum, quæ in Imperiis plerumque eveniunt, tradidimus *Loco de Imperio.*

B Philosophi mutationem aliam de subjecto in subjectum: aliam ex non subjecto in non subjectum: aliam ex non subjecto in subjectum, &c. ☞ *Vide infrà Motus. Aristot. lib. 5. Physicor. cap. 1.*

☞ *Mutationes Legum in Republica noxiæ, & periculosæ. Vide Locum de Legibus. Tit. particulari de mutatione. Legum noxia.*

Apophthegmata.

Lygurgus, interrogatus cur Spartani toties pugnaturi contra hostes castra mutarent? respondit, Ut eo magis lædamus hostem. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Augustus Cæsar quodam die venit in ædes, in quibus habitarat Cato Uticensis, hic cùm Strabo, quò Cæsari adularetur, Catonis pervicaciam accusaret, quòd sibi manus adferre, quàm Julium victorem agnoscere, maluisset: Quisquis, inquit, Augustus, præsentem Reipublicæ statum mutari non vult, is & civis, & vir bonus est. Unico dicto, & Catonis memoriam tutatus est, & sibi consuluit, deterrens, ne quis in posterum affectaret res novas. Nam præsens status, non is tantum dicitur, qui tum erat, cùm hæc loqueretur Augustus, sed is quoque, qui

C fuerit tempore conspirationis in Julium. Siquidem hæc dictio præsens apud Latinè loquentes, ad tria tempora pertinet, præteritum, præsens, & futurum: ut Præsentibus non erat contentus, & præsens in tempus emittat, id est, in futuram opportunitatem. *Erasm. Rot. lib. 4. Apophth.*

Tiberius, cùm ab amicis interrogaretur, cur non tam facilè magistratus, & præfecturas suas mutaret? Respondit, se data hoc opera semper fecisse. Natura enim omnes, qui rerum administrationi præsint, pecuniæ eos cupidos, plurimumque studii ad rem magis magisque augendam esse collocare. Cæterùm, si diutiùs in magistratu versentur, segniores ad quæstum faciendum fieri. Mulcas enim, si longiùs corporum ulceribus insideant, minùs graves, & molestas fieri, quippe sanie ulcerum ad satietatem usque refertas: & eum, qui ulceribus scateat, duriùs acceptum, afflictumque iri, si saturis jam repulsis, famelicas alias ad vulnera admittere velit. Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ suæ historiæ *lib. 1. c. 17.*

Sophronius Pompejopoleos Paphlagoniæ Episcopus, cùm audisset in Synodo Seleuciana Acarii opiniones, & dogmata D recenseri: Si per singulos dies, inquit, propriam fidere fidem licuerit; veritatis integritas non diù manebit. *Socrates lib. 2. Tripartitæ histor. cap. 34.*

☞ *Vide Inconstantia.*

* Mutuatio. Mutuum.

Definitio, & Etymologia.

Mutuatio, Græcè δάνεισμα, & δανείζω, mutuo dicitur, Mutui datio dicitur ab eo, quod de meo fiat tuum, & ideò ii non fiat tuum, non nascitur obligatio. Mutuum dare est mutuare: mutuum damus, ut *Paulus Iurisconf.* inquit, non eandem speciem recepturi, quam dedimus, hoc enim commodatum, aut depositum est, sed idem genus: nam si aliud genus veluti pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum. Mutui datio in his rebus est, quæ pondere, numero, mensurave consistunt, quoniam in his idem specie redditur, cùm in cæteris rebus aliud pro alio invito creditore reddi non possit: Siaut reducitur res alterius speciei, non erit mutuum, sed permutatio, si eadem numero, erit depositum. E

Mutuum à fœnore sic separat Marcellus, quòd mutuum fine usuris, fœnus est, cum usuris. Plautus. *Nam si mutuò non petere, certum est sumam fœnore.*

Mutuo, & Mutuor ita differunt, quod qui pecuniam dat mutuo, is mutuare dicitur: qui verò accepit, is pecuniam mutuatur. Mutuus, a, um, pro vicario accipitur. Apulejus: *Mutuam tibi operam præstiti.* Idem *Fac me mutuo diligas*, hoc est, vicissim ames. Venit autem mutuò adverbium à mutuus.

OBLIGATIO. EX MUTUO QUI OBLIGENTUR.

Omnes jure naturæ obligantur ex mutuo, qui contrahendi habent potestatem.

Excipiuntur juris privilegio Filius-familias, Ecclesia, Civitates, minores ætate.

Filiusfamilias, mutuans absque patris consensu, ex decreto sive S.C. Macedoniano, non tenetur solvere. Cujus quidem Consulti occasionem dedit quidam Macedo fœnerator, qui cùm filiisfamilias Romæ pecuniam fœnori dedisset, & illi oppressi ære alieno vitæ parentum insidiarentur, decrevit Sena- F tus; ne deinceps contra tales institueretur actio, ut petito, ne quidem post mortem patris, Habetur *lib. 1. π de S.C. Macedoniano*, etiam mutuum præstitum Ecclesiæ, vel Oppido, si dubitetur, an in illorum commodum sit impensum, non potest creditor ab iis repetere. *In Authent. Item l. Civitas 27. π si certus petatur.* Casus verò particulares videantur apud *Lessium lib. 2. c. 20. Dub. 2. de Iustitia.*

Minor 25. annis qui ex mutuo se læsum deprehenderit, non tenetur restituere. Videatur *Gomezius Tom. 2. c. 14. n. 2. De Lege mutui data veteri populo*, ☞ *Vide Locum, de usura.*

Apophthegmata.

Quidam miserrimos homines esse dixit, qui modò rubros, modò pallidos habent dentes. Notabat autem, aut qui mutuo acceperunt ab aliis: qui, dum mutuum repetitur, erubescunt: dum verò creditorem viderint, pallescunt, ne cogantur ad solvendum. *Recit. hoc dicter. Apud Suidam.*

Lycurgus dicebat, dignitatem quidem istam, qua movemur ad faciliùs mutuo dandum aliquid, in opibus hominum suam esse: illam verò, quæ nos ad faciliùs fidem habendam induxit, in moribus. *Stob. serm. 35.* G

Perseus, cùm cuidam noto daret pecuniam, cautionem fecit in foro apud mensarium. Hanc diligentiam, quam amicus admirans diceret: Adeòne legaliter Perse? Scil. inquit, ut amanter recipiam, nec largiter reposcam. Fit enim sæpenumero, ut qui cum amico bona fide, sine testibus, ac syngraphis agunt, post cogantur, cum eo legibus agere. *Plut.*

Gelon exigebat pecuniam à suis civibus, quos ubi videret tumultuantes, ait se petere mutuo: quippe redditurum. Ita volentes dederunt, atque ille peracto bello reddidit. Hoc artificio perfecit, ut pecunia non deesset ad bellum necessaria, nec cives haberet minus benevolos. *Plut. in Apoph.*

Galba, cùm penulam mutuò à quopiam rogaretur, festivè respondit: Si non pluit, non est opus è tibi: si pluit, ipse utar. *Brusson. lib. 4. c. 22.* Idem cuidam, cui cœnaculum perpluebat commodato roganti penulam, dixit: Non possum commodare, nam domi maneo. Significans, domi maximè opus esse penula. Solent alii secus excusare, Non possum commodare penulam, ipse ex eo. *Eras. lib. 6. apoph.*

☞ *Moderatio circa mutuum, & mutuationem. Pete ex Loco de moderatione, Tit. Moderatio circa opes.* H

☞ *Consulatur pro hoc Argumento Locus de Usura, & nominatim de Monte Pietatis, in Loco de monte.*

Mutus.

* Definitio, & Etymologia.

Mutum vocamus eum, qui non potest loqui? dictus à mugiendo, quòd cùm loqui articulatim nequeat, mugitum potiusquàm sermonem proferat. Alii à mussitando deducunt, eò quod inconditum dumtaxat sonum emittat.

Artes mutæ dicuntur, quæ sunt minùs celebres, juxta Servium, quamvis mutam artem appellent Picturam, ut quæ exprimit colore, quod voce depromendum esset.

Sic mutas dicimus literas, consonantes quasdam, quę obtusũ reddunt in dictione sonum. Unde & lapides olim pro termino agrorũ absq; inscriptione positi, muti dicebãtur, *Iunt. Hyginum.*

MUTI QUI FACTI.

A Zacharias sacerdos pater Joannis Baptistæ, ob incredulitatem ad verbum Angeli, mutus effectus est ad circumcisionem usque pueris, & tunc demùm loquela ei restituta est. *Luc.1.*

Choromandæ gentes sunt sine voce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. Sic etiam Troglodytæ.

Nausimenis Atheniensis Uxor, cùm filiis, ac filiæ suæ stupro interveniſſet, inopinati monstri perculsa conspectu obmutuit. Illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt. *Var. lib.1. cap.8.*

Q. Pedius, nepos Q. Pedii consularis, triumphalisque à Cæsare dictatore cohæredis Augusto dati, cùm natura mutus esset, eum Messala orator, ex cujus familia pueri avia erat, picturam docendum censuit, idque etiam divus Augustus comprobavit. Puer magni profectus in ea arte obiit. *Plin. lib.35. cap.4.*

CURATI. QUI LOCUTI? QUI, ET QUOMODO?

B Zacharias sacerdos. ☞ *Vide paulò antè.*

Christus dæmoniacum Mutum, dæmonio ejecto, curavit. *Matth.9. Luc.5.* Item mutum simul, & surdum, cùm sputum linguæ illius imposuisset, digitos auribus immisisset. *Matth.15. Marc.7.* Mutum dæmoniacum, ejecto dæmonio, loqui fecit Christus.

D. Martinus in Carnotena civitate Puellam ab utero matris ad duodecimum usque annum ætatis mutam, infuso sacro oleo, & oratione vocalem fecit. *Severus Sulpitius ab initio tertii Dialogi.*

Remigius Rhemensis Episcopus, in Synodo Aurelianensi sub Clodoveo Gallorum rege, Arianum quendam summum dialecticum, miraculosè mutum redditum, & ad Remigii pedes procidentem, sic affatus est: In nomine Domini nostri Jesu Christi, veri Filii Dei vivi, loquere: si siquidem ita rectè de eo sentis, & de illo, sicut Ecclesia Catholica credit, crede, & confitere. Hac voce ille usum linguæ recepit, & damnato Arii errore, Catholicus factus est. *Hincmarus in vita*
C *S. Remigii.*

Zoe uxor Nicostrati martyris septem annis muta fuit ex morbo. Demùm à S. Sebastiano sanata fertur. *Surius tom.* D
1. 20. Januar.

Quidam Mercenarius, qui annis septem mutus fuerat, ad basim columnæ in Benedicti Ecclesia obdormiit, cùm alii cantarent laudes Deo. Apparuit autem ei Benedictus, & inquit: Surge protinus, & tribus in terram vicibus expue. Id cùm vigilans fecisset, recepit loquendi facultatem. *Chronicon. Cassinense, lib.1. cap.25.*

D. Bernardus Josberto de Firmitate, sanguine ipsi juncto, mente, & loquendi facultate privato, promisit levationem, si ablata Ecclesiis restitueret, & onera, quibus pauperes pressiserat, relaxaret. Posteà ad secretam conversus orationem, ecce nuncius adest, qui refert, Josbertum & loqui, & petere, ut ad se veniat, & sacramenta impertiat. *Auctor vitæ.*

Constantinus Leonis V. Iconomachi filius post patris cædem in insulam Primam relegatus, cùm loquelam amisisset, D. Gregor. Magnum pro sanitate à Deo impetranda oravit. Fertur igitur, illi Gregorius in somnis apparuisse, ac jussisse, ut templum ingrederetur, & lectionem illam, quæ exorditur: Rursus Jesus meus, &c. coram omni plebe legeret. Paret ille, & lectionem sine omni impedimento linguæ ita pronuntiat, ut nemo non admiraretur. *Zonaras, Cuspin. Cedrenus* hoc alteri filio Leonis, Balio nomine tribuit. E

Battus, cum Cyrenæis in Africæ deserta excurrens, leonem conspexit. Re improvisa, territus magnum, & clarum sustulit clamorem, cùm antè penitus mutus fuisset. *Pausanias in Phocicis.*

Atys Cræsi Regis filius, cùm mutus ad id usque temporis esset, cùm Cyrus Asiæ oppidum Sardeis, ubi tunc Cræsus latebat, intrasset, vocem erupit præ timore, & exclamasse dicitur: Parce patri meo, Cyre, & te hominem esse, vel casibus disce nostris. Solinus *c.7. Polybist.* Gellius *lib.* [illegible] *c.6.* Valer. *lib.5. cap.4.* Justinus *lib.1.* Herod. *lib.1.* Cræsum à gregario milite jam jam interficiendum, filii inspectantis inexspectata voce servatum scribit: ἄνθρωπε μὴ κτάνῃς Κροῖσον, O homo, ne occidas Cræsum.

Ægles Samius Athleta, cùm in sacro certamine sortitione inter Antagonistas facta sortem nominis falsam subiici animadvertisset, repentè in eum, qui id faciebat, sese videre quid faceret, alta voce clamavit, & inde per omne vitæ tempus vocem retinuit. Gellius *lib.5. cap.6.* & Valerius *lib.* F
1. cap.8.

☞ *Vide Locum do voce.*

FINIS LITTERÆ M.

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK,

ARCHIPRESBYTERO ANTUERPIENSI,

Littera N.

A * *Asterisci Titulis sive Generalibus, sive Secundariis, Rebusve sub iisdem contentis præfixi, posterioris Auctarii sunt indices.* B

* Nænia, sive Næniæ.

Definitio, et Etymologia.

B Næniæ næniarum, vel Nænia in singulari, & scribitur plerisque simplici E. alii Græcum nomen volunt, deductum, à νένιστον, id est, ultimum. *Julius* tamen *Pollux* Phrygiam vocem autumat τὸ δὲ Νενίστον: inquit, ὃ τὶ μὴν φρύγιον. Ab Hebræa manasse censet *Scalig. in notis ad Festum.* Erat autem, quod hoc nomine appellabatur carmen lugubre, quod in funere ante cadaveris sepulturam laudandi gratia canebatur ad tibiam, conducta plerumque ad id munus muliere, quam Præficam nominabant, quod tamen locum duntaxat habuisse, quando propinqui deerant, vult *Nonius*, qui erat, dum Nænias tantum hominibus vilioris sortis decantatam censet, nam & honoratioribus solitam decantari, auctor est Cicero *lib. 2. de legib.*

C Sunt, qui dicant, nomen Næniæ esse factitium, sumptum à similitudine vocis eorum, qui queruntur, & dolent.

Veterem autem Nænia rum ritum etiam hodie in Calabria observari, præfica in funere pretio conducta, refert *Gabriel Barrius*: Et in Græcia, *Pet. Bellonius lib.1. observat.*

INVENTIO.

Hoc carmen lugubre invenisse putatur Simonides Poeta, Lyricus ex Cea Insula. Unde Horatius:

Sed ne relictis Musa procax jocis
Ceæ retractes munia Neniæ.

D ☞ *Quære locum de Morte. Tit. Mortuorum cura.*

HONOR, ET CULTUS.

Romani Neniam postmodum in numerum Dearum retulerunt, eamque funeribus præsidere arbitrati sunt. Unde illi sacellum erexerunt extra portam Viminalem, semotum ab urbe. *Alexand. ab Alexand. lib.2. cap.4.*

Nani.

☞ *Vide locum de Parvis, Pusillis.*

* Nasus. Nares. Nasuti.

Definitio, et usus vocis.

F Nasus est ea capitis pars, quæ à superciliorum confinio oritur, & æquali jugo porrecta, utramque aciem discernit, & munit, estque velut murus oculis interjectus. Græcis μυκτὴρ, Hebræis *Apopb.* Duo autem illius spiramina nares vocantur. Usurpatur per translationem pro sagacitate, sumptum à canibus, qui naribus odorem captant, & obstrusa investigant. Unde irrisores, dicaces, sagaces, nasum habere, & nasuti dicuntur. Estque Plauto usitata phrasis.

Ex Naso morum indicium desumi nonnunquam multorum opinio fuit.

Persæ namque adunco naso hominem honorant, eò quod Cyrum talem fuisse existiment: eosque pro pru- G
dentibus habent. E contrà simos pro minus generosis. Hinc *Comicus.*

Habet nasum senex sagax.

In naso quoque irrisionis est sedes. Hinc Nasutos dicimus illos, qui astutè aliquem carpunt, aut irrident, & *Persius* ait *Sat. 1.*

Callidus excusso populum suspendere naso.

Similiter *Horatius.*

—— *Naso suspendis adunco.*

Etiam iræ index nasus, quòd in canibus patet, qui irritati nares in rugam contrahunt. Sic iterùm *Persius Sat.5.*

—— *Ira cadat naso.*

H ☞ *Vide locum de Motu corporis. Ubi Nasi contractio.*

ABSCISSIO.

Narrat *Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 5.* Fuisse Æthiopum Regem, qui delinquentium crimina non mortis supplicio, sed nasi abscissione puniebat, ut eam oris turpitudinem veriti, circumspectius à criminibus abstinerent.